60
F
108

10
4-C
23

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
4 G
20

x Bibliotheca
ori Coll. Rom.
ociet. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FLORVS SANCTVS
HOC EST
EPITOME TOTIVS
HISTORIÆ SACRÆ
CONTINENS RES GESTAS
Et bella populi Dei ab orbe condito ad Chriſtum vſque.

Authore R. P. MATHÆO BOLERANO *Narbonenſi, Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Theologo.*

SECVNDA EDITIO.

Biblioth. Coll. Soc. Jesu

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud GEORGIVM IOSSE, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Coronæ Spineæ.

M. DC. LXVIII.
Cum Approbatione.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO D. D.

GASPARI DE FIEVBET

D. DE MONTESQVIEV,

PECHBONIEV,

Equiti nobiliſſimo, Comiti Conſiſtoriano, Regi à Conſiliis, & ampliſſimi TOLOSANI SENATVS

PRINCIPI

PERPETVAM FELICITATEM.

NON *munus offertur* (Toloſani Senatus Princeps Illuſtriſſime) *ſed ſoluitur debitum; cum hic Sacræ Hiſtoriæ Florus tibi dedicatur. Nec citra iniuriam po-*

ã iij

terat gens noſtra ſuos ſtudiorum fructus alij rependere, quàm cui ſe, ſuaque debet ſtudia; quòd enim in iſta Toloſæ Academia nobis eloqui liceat, tuum eſt beneficium: ſit itaque grati animi argumentum, quod ibi primùm eloquimur. Nobis tamen ex hoc munere plus honoris, quàm tibi gloriæ accedet: niſi fortè ea ſit maxima virorum principum gloria, ſuam præſtare gratiam quibus poſſunt. In hoc tota iam eſt tua benignitas, Princeps Senatus Illuſtriſſime, *vt ex noua huius nominis dignitate non tam honores nouos, quàm ampliorem munificentiæ facultatem nactus fuiſſe videaris.*

Hæc publica totius regni de te fama, vt te poſthumus iſte adiret, perſuaſit: cui enim deffenſor adeſt nemo, aderit tua clementia; ac veluti patronus tueberis, quem alioquin iudex fortè damnares.

Digitized by Google

Neque idcirco aliquis putet incultum hoc Opus haberi, quod etiam, hîc intelligit minùs laudari: ſatis dignum æſtimet, in quo pietas, ac religio commendantur; eâque pene breuitate, & elegantiâ ſcribuntur, quâ tu Senatusconſulta pro Tribunali edicis. Optima quoque vitæ ciuilis instituta hîc populi edocentur; Illas enim leges continet, in quas tu ſtatim poſt adoleſcentiam ſumma cum laude incubuiſti; quippe qui, vt ſuum cuique jus redderetur, in Curia ſupplicum libellorum Præſes tunc primùm iura dixisti; cauſaſque regias mox procurans, tantâ in oratione Majeſtate, quanto in rebus iudicio, quod vellet æquitas poſtulaſti. Ac demum pro tam eximia meritorum celeritate, in ſuprema ampliſsimi Ordinis ſede te collocauit Rex Auguſtiſsimus;

minus æquum ille putauit, qui merita ſubditorum expendit, eum honori nondum tempeſtiuum videri, qui iam omni virtutum genere maturus & exornatus fuiſſet.

Toloſani ergo Senatus Principem eſſe te voluit, vbi ipſe iam antea fuerat expertus tuam in iure dicendo æquitatem; in procurandis regiis cauſis fidem, ac diligentiam. Ecquis præterea melius ſciret populorum lites dirimere, quàm qui optimè ſciat Principis iura deffendere? hæc tibi gloria, niſi eſſet labore parta, à Parentibus data fuerat: (neque enim tu primus tuæ gentis Princeps Senatus;) *ſed minùs decorum fore putauiſti patris gloriam adæquaſſe, niſi & meritum acceſſiſſet. Quam igitur quaſi hæreditariam conſecutus es dignitatem, fauere ſibi rogant*

Annales iſti; ut tui nominis inſcriptione plures habeant ſui æſtimatores; ſiquidem viri principis iudicium in his rebus mereri pulchrum eſt; nec placere cæteris non poteſt, quod tibi non diſplicuit. Vale.

PP. Doctrinæ Chriſtianæ
Collegij Toloſani.

Digitized by Google

AMICO LECTORI.

EN tibi Lector amiciſſime Opuſculum, & vt verum fatear, Breuiarium totiús ſacræ antiquioris Hiſtoriæ ſeu Scripturæ. Florum tamen appellaui auctoris prophani nomine; quia certè hujus viri breuitatem, ordinem ſcribendi, atque ipſum ferè ſtilum, vt aduertes, affectaui, ſed non aſſecutus ſum. Sanctum dictum eſſe volui, licet geſta ac bella Hebræi populi pertractet, quia reuera ſancta ſunt quæ à viris ſanctis inſpirante Deo ac Duce geſta ſunt. Hactenus vidiſti Florum Romanum, Gal-

Digitized by Google

licum, Francicum: deerat tibi legendus ſi placet, Sanctus. Hunc ego tibi offero, hunc tu æquo ac beneuolo animo perleges, ſi faues. Vale.

Digitized by Google

AMICO LECTORI.

EN tibi Lector amiciſſime Opuſculum, & vt verum fatear, Breuiarium totiùs ſacræ antiquioris Hiſtoriæ ſeu Scripturæ. Florum tamen appellaui auctoris prophani nomine; quia certè hujus viri breuitatem, ordinem ſcribendi, atque ipſum ferè ſtilum, vt aduertes, affectaui, ſed non aſſecutus ſum. Sanctum dictum eſſe volui, licet geſta ac bella Hebræi populi pertractet, quia reuera ſancta ſunt quæ à viris ſanctis inſpirante Deo ac Duce geſta ſunt. Hactenus vidiſti Florum Romanum, Gal-

Digitized by Google

licum, Francicum: deerat ti-
bi legendus ſi placet, Sanctus.
Hunc ego tibi offero, hunc tu
æquo ac beneuolo animo per-
leges, ſi faues. Vale.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM

LIBRI PRIMI.

Præfatio. pag. 1.

DE Adam & Eua primis parentibus. cap. 1. p. 4.

De pœna & pænitentia Adam & Eua. p. 5.

De liberis primorum parentum. p. 6.

De Noë Patriarcha. cap. 2. p. 8.

De Arca & Diluuio tempor bus Noe. p. 9.

De diuiſione orbis & turri Babel. p. 10.

De Abraham Patriarcha. c. 3 p 10.

De prælio Abraham cum quinque Regibus. p. 13.

De liberis Abraham Iſaac & Iſmaele. p. 14.

CAPITVM.

De ſacrificio Abraham. p. 15.
De conflagratione Sodomæ & Gomorrhæ. p. 17.
De *Iſaac Patriarcha.* c. 4. p. 18.
De liberis Iſaac, Iacob & Eſaü. p. 20.
De benedictionibus. p. 21.
De Iacob Patriarcha. c. v. p. 21.
De duabus vxoribus Iacob. p. 24.
De ſtupro illato Dinæ. p. 26.
De fraudibus Laban erga Iacob. p. 27.
De occurſu Eſaü fratris. p. 28.
De Iuda Patriarcha. c. vi. p. 29.
De *Ioſeph Patriarcha.* c. vii. p. 31.
De *ſomniis Regis Pharaonis.* p. 32.
De pietate Ioſeph. erga fratres p. 33.
De benedictionibus morientis Iacob. p. 35.
De perſecutione Regis Pharaonis, p. 36.
Anacephalæoſis de ſeptem Patriarchis. c. viii p. 37
De *mutatione populi ſeu Eccleſia Dei* c. ix. p. 39.
De miſſione Moyſis & Aaronis ad Pharaonem. p. 40.

Digitized by Google

CAPITVM.

De decem plagis ſeu flagellis Ægypti. p. 41.
De egreſſione populi ex Ægypto. p. 42.
Bellum Ægyptium Cum Rege P*haraone.* c. x. p. 43.
Bellum conra Amalecitas primum. c. xi. p. 45.
Expeditio in terram Chanaam promiſſam à Deo. c. xii. p. 46,
Bellum contra Chananæos primum. c. xiii. p. 45.
Bellum contra Amorrhæos. c. xiv. p. 48.
Bellum Moabiticum. c. xv. p. 49.
Bellum Madianiticum cum Moabitis. c. xvi. p. 51.
De ſeditionibus ſeu murmurationinibus populi. c. xvii. p. 53.
De prima diſcordia Hebræorum. c. xviii. p. 54.
De ſecunda diſcordia. c. xix. p. 56.
De *tertia populi diſcordia.* c. xx. Ibidem.
De quarta diſcordia. c. xxi. p. 57.
De quinta diſcordia. c. xxii. p. 58.
De *ſexta diſcordia.* c. xxiii. p. 59.

Digitized by Google

De ordinatione Reipublicæ Hebreæ. c. 24. p. 60.
De Manna dato in cibum. Ib.
De lege ſcripta à Deo. p. 61.
De Arca Dei & Tabernaculo fœderis. Ibid.
De veſtibus Sacerdotum. p. 62.
De morte Moyſis & Iobi. c. 25. p. 64.

INDEX CAPITVM
LIBRI SECVNDI.

C*Aput primum.* p. 66.
Bellum Hierecuntium. c. 2. p. 67.
Bellum aduerſus Vrbem Hai. c. 3. p. 70.
Bellum Gabaonicum. c. 4. p. 72.
Bellum cum Chananæis, Amorrhæis. Ethæis, Phæreſæis, Iebuſæis, &c. c. 5. p. 53.
Diuiſio Tribuum per Vrbes bello captas. c. 6. p. 73.
Bellum Chananæum ſecundum. c. 7 p. 76.

Bellum Syriacum Iudice Othoniele. c. 8. p. 78.
Bellum Moabiticum ſecundum Iudice Aod. c. 9. p. 79.
Bellum Philiſtæum primum ſub Sangare. c. 10. p. 81.
Bellum Chananaum tertium Iudice Debbora. c. XI. p. 82.
Bellum Madianiticum ſecundum ſub Gedeone. c. XII. p. 84.
Bellum Ammoniticum primum. c. 13. p. 88.
Bellum Philiſtaum ſecundum ſub Samſone. c. XIV. p. 90
Anacephalaoſis. p. 95.
Seditio Tribus Ephraim in Gedeonem. p. 96.
Seditio Abimelech Regis Sichem. p. 97.
Seditio ſecunda Tribus Ephraim. p. 100.
Seditio Tribus Dan. Ibid.
Bellum tribule aduerſus Tribum Benjamin. c. XV. p. 102.
Coniugium Ruth cum Booz. c XVI. p. 104.
Bellum Philiſtaum tertium. c. XVII. p. 105

Digitized by Google

INDEX CAPITVM

LIBRI TERTII.

Bellum Ammoniticum ſecundum Saüle Rege. c. I. p. 109.
Bellum Philiſtaeum quartum. c. II. p. III.
Bellum contra Amalech ſecundum. c. III. p. 113
Triumphus Dauidis de Goliath Philiſtaeo. c. IV. p. 114.
Perſecutiones Dauidis. c. V. p. 115
Prælia Dauidis profugi. c. VI. p. 117
Bellum Philiſtaeum quintum. c. VII. p. 199.
Anacephalaeoſis. p. 120.
Bellum Dauidis & Isboſeth filij Saülis. c. 8. p. 122.
Bellum in Iebuſaeos & Philiſtaeos. c. IX. p. 144.
Bellum in Philiſtaeos, *Moabitas, Iduma͏eos & Syros.* c. X. p. 125.
Bellum Ammoniticum tertium c. XI. p. 126.

ẽ

Conjuratio Abſalonis in patrem. c. XII. p. 127.
Seditio Sebæ aduerſus Dauidem. c. XIII. p. 130.
Poſtrema bella Regis Dauidis. c. XIV. p. 131.
Regnum pacificum Salomonis. c. XV. p, 132.
Diuiſio regni Iſraël ſub Rege Roboam. c. XVI. p 135.
Bellum Ægyptium primum aduerſus Roboam. c. XVII. p. 136.
Bellum ciuile primum ſub Rege Abia. c. XVIII p. 137.
Bellum Ægyptium ſub Rege Aſa. c. XIX p. 138.
Bellum ciuile ſecundum ſub Rege Aſa. c. XX. p. 139.
Bella inteſtina regni Iſraël. c. XXI. p. 140.
Bella Io*ſaphat & Achab confœderatorum.* c. XXII. p. 141.
Bella Regis Ioram & Ochoſiæ. c. XXIII. p. 143.
Mutatio regni Iſraël. c. XXIV. p. 144.
Bella Regis Io*as & Amaſiæ filij.* c. XXV. p. 146.

Digitized by Google

CAPITVM.

Res geſtæ in regno Iſaraël. c. c.XXVI. p. 148.

INDEX CAPITVM LIBRI QVARTI.

Bella reliquorum Regum Iudæ. c. I. p. 149.

Bella Regis Ochoſiæ & Ioathan. c. II. p 150.

Bella Regis Achas. c. III. p. 151.

Tranſmigratio & finis regni Iſraël. c. IV. p. 152.

Bella Ezechiæ Regis & ſequentium. c. V. p. 54.

Bellum Ægyptium ſecundum Rege Ioſia. p, 156.

Tranſmigratio Babylonis. c. VI Ibid.

Miſſiones & miracula Prophetarum. c. VII. p.159.

Miracula Eliæ Prophetæ. c. VIII. p. 160.

Miracula Eliſæi Prophetæ. c. IX. p. 161

Miracula Iſaiæ Prophetæ, c. X. p. 164.

Digitized by Google

Interregnum & captiuitas Iudæorum. c. XI. p. 65.

Finis captiuitatis Babylonicæ. c. XII. p. 167.

Bellum Holofernis contra Iudæos c. XIII, p 169.

Prælia pro reſtauratione Vrbis & Templi. c. XIV. p 172.

Expeditio Alexandri magni in Iudæam c. XV, p. 173.

Bella & perſecutiones Antiochi Regis in Iudaos c. XVI. p. 174.

Bellum pro religione Duce Mathathia. c. XVII. p. 176

Bellum Machabæum primum Duce Iuda. c. XVIII. p. 177.

Bellum ſecundum Machabæum Duce Ionatha p. 180

Bellum tertium Machabæum Duce Simone. p. 183.

Bellum Romanum *primum in Iudeos.* c. XIX. p. 186.

Bellum Parthicum contra Iudeos. c. XX p. 189.

Bellum Romanum ſecundum c. XXI. p. 190.

Finis bellorũ & regni Iudaici c. 22. p. 191.

FLORVS SANCTVS

HOC EST

HISTORIÆ SACRÆ.

EPITOME.

LIBER PRIMVS.

Præfatio.

POPVLVS Dei, qui dictus eſt olim Synagoga ſub Moyſe, nunc ſub Chriſto Eccleſia, ab Adam ad nos vſque quinque circiter mille annos ætatis impleuit. Ille vetuſtate nobilis factus, ipſi propè coæuus tempori, & adhuc religione fœlicior, dubitandi locum dedit, an illius virtutem plus ætas auxerit, quàm virtus ætatem ornauerit. Tot præſertim victoriis inclaruit, ſeu gladio ſeu verbo Dei militans, vt ei nihil vnquam indomitum fuerit, ſiue Rex hoſtis inſurgeret, ſiue hæreſum cohors inſtaret. Tot certè illius legere triumphos licet, quot commiſit prælia cum

Digitized by Google

hoſtibus. Et ſi quando victum debellatumque inueneris, dicas non tam hoſtes viciſſe, quàm peccata populi interrupiſſe victoriam. Suſpice hanc Dei Rempublicam, quæ ob multiforme penes tempora regimen, quandam veluti percurrit hominis ætatem. Primùm velut infans ex Patriarchis, & in Patriarcharum ſinu creuit & circa legem naturæ, quaſi circa matrem vagiit. Nulla adhuc diſciplina, nullum erat præceptum traditum, ſolus naturæ inſtinctus legis & magiſterii locum tenebat.

Hæc Eccleſiæ prima & rudis ætas ab Adam & poſteris illius ad Moyſen vſque per quingentos annos ſupra tres circiter mille patet; per quos terra aquis diluuii lota, & vrbes igne cœlitùs miſſo luſtratæ, prodigii loco fuerunt. Interim quoque ſtigma circumciſionis inuſtum eſt, vt vel hæc externa cicatrix populum Dei à prophanis gentibus diſtingueret. Natis Moyſe & Aarone fratribus adoleuit hic populus, & ſub his, aliiſque conſtitutis à Deo iudicibus, vſque ad Regem Dauid victor Paleſtinæ & totius circa maris euaſit. Hoc tempus quod in mille annos tenditur, bellis ſic efferbuit, vt adoleſcentiam meritò appelles; quæ ætas ad arma promptiſſima Reges, Duces, Populos, breui vniuerſam Iudæam ſeruire Deo coëgit. Tunc legibus etiam digito Dei deſcriptis, & armis muniri cœpit Eccleſiæ adultæ Maieſtas. Sequenti ætate à Dauide ad vſque tranſ-

migrationis tempus, quingentis annis non totis more gentium regnatum eſt poſt abrogatum Iudicum Magiſtratum. Perpetua interim Regum Iuda cum Regibus Iſraël, æmulâ poteſtate exhauſta bella, ſi quadraginta pacis annos ſub Salomone excipias.

Ita pace, bello, ſuas vices ſeruantibus, Eccleſiæ Iuuentus è ſuis malis robur accipiendo, virtutem auxit; donec ſub Pontificibus, ac Ducibus quibuſdam ad ſenectam deflexit, in qua per Machabæos tantiſper animum torpentem excitauit. Sed mox ſub Chriſto Rege, Duce, Pontifice, redditâ iuuentute, ad nos vſque indeflexâ maturitate peruenit. Cæterùm tantam rerum molem per tot annorum millia, tamque longam Hiſtoriam multi proſecuti ſunt ſtylo vberrimo: Ego ſi placet, in compendium ducam; & quidquid Doctrinæ temporum & ſermonis elegantiæ deerit, breuitatis vt ſpero gratiâ, penſabitur. Et hîc quantùm intelligo non vnius populi facta, ſed omnium ferè gentium quaſi annales ſcribam. Ita enim Eccleſia cum diuerſis gentibus ac populis bella permiſcuit, vt ipſa totum orbem debellaſſe vel pacaſſe citra adulationem dici poſſit. Tot verò decurſa annorum ſpatia tam frequentibus ad vtrumque ſolem victoriis reſpondent, vt reſtet adhuc locus miraculo, quî tam breui ætate tantùm operum pace belloque adminiſtrari potuerit.

De Adam & Eua primis Parentibus,

CAPVT PRIMVM.

Ex cap. 1. & 2. Geneſ.

PRimus mortalium Adam cum Coniuge Eua, ſi delicti pœnitentiam attendimus, Pater & Origo Eccleſiæ vocari poſſit. Vterque à Deo, ſed non eodem loco & tempore geniti. Ille prior & totus ex ſpiraculo Dei animum, ex luto corpus effictum accepit: hæc Diuini operis portio, pars item Adami Coniugis; ſi quidem huius coſta per ſoporem excuſſa primæ fœminæ ædificium fuit, vt verè euigilans dixerit, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Sextâ mundi die progenitus Adam, nam primis quinque diebus, hinc cœlum ſyderibus ſplenduit, terra floribus vernauit & fructibus, illinc piſcibus mare à terris ſecluſum impletum eſt, & ſicut in aerem volucres ſe receperant, ita in terram beſtiæ. Hæc omnia ex arte Dei prima prodierant, vt Adamum poſtremò natum veluti Regia quædam Regem ſuum exciperent. Certè eò poſterior venit origine, quò prior dignitate futurus erat. Translatus in amœniſſimum hortum (paradiſum vocant in cuius medio fons ſaliens ac deinceps in quatuor orbis fluminum capita

deriuatus, Cœli ac pluuiæ vicem ſubibat) ibi datâ ſibi Coniuge Euâ, conſecrata audit primordia thalami: inſuper adductis ſibi animantibus ex omni genere, nomen ſuum cuique imponit, quod nulla ætas correxit, nulla deleuit obliuio. Et iuſtè quidem omnibus his indidit nomina, qui omnium norat indolem & latentem naturam.

De pœna & pœnitentia Adami & Eua.

SEd inſidias ſerpentis non intellexit: Nec mirum latebat in ſerpente Dæmon. Hic miſer præ ſuperbia factus, præ liuore fœlicem hominem pati non potuit. Peccati niſus eſt habere conſortem, vt haberet pœnæ complicem & miſeriæ ſocium. Loci amœnitas corruptelæ fuit illecebra, & ruinæ occaſio. Pendebant ex arbore poma, non magis guſtu ſapida, quàm oculis ſuauia. Eua pro ſexu auida, facilis decipi, pomum legit & vorat, & ne vel ſola peccet aut vno genere criminis, Coniugem Adam ad vetitum fructum pertrahit. Hic nec ſexu melior, nec mente cautior, mortis, quam interminatus fuerat Deus, deglutit ſententiam. Vt vera hæc forent *in quocumque die com ederis ex eo, morte morieris*. Peccat ergo hic, peccat illa, vir authore fœminâ, fœmina aſtu ſerpentis, id eſt ſuaſu Dæmonis. At neuter impunè tulit, quia neutrum delicti pœ-

Ex cap. 3. Geneſ.

nituit ; vterque è paradiſo ejicitur ; aperti amborum oculi , & non minùs mente quàm corpore ſe nudos erubuere; protinùs folia ficus rapta ſunt ad tuendum pudorem. Lugent ejecti & quaſi extorres , & ne quando redeant , flammeo Cherubim gladio prohibentur. Diſtulit mortem Deus , tum vt ſpatium foret ſuſcipiendæ ſobolis licet morituræ, tum vt vitâ productiore longior fieret expiatio criminis. Interim Adam ſterilem campum ad multum ſudorem excolit & ſpinas pro fructibus colligit. O dignam hominis fructum vetitum depaſti pœnam. Mulier multiplicem fœtum cum dolore nixa , facta eſt viro ſeruiens , quæ Deo noluit obſequi , & vix vel ab vno fructu abſtinuit. Serpens reptare humi iuſſus quia Dæmonis ſuperbiæ ſeruierat, & terram mandere quia prohibitam eſcam porrexerat.

De liberis primorum Parentum.

Ex cap. 4. Geneſ.

PRima ſoboles huius puerperæ Cain, ſecunda Abel , hic paſtor opima gregis Deo , ille agricola viliſſima quæque de frugibus libabat. Et hinc inuidiæ fomes , deinde parricidii nata occaſio. Nam egreſſus foras Cain fratrem obtruncat , inuidens quod ex lautiore ſacrificio præſentius Dei numen ſentiret & amiciorem in igne vultum. Parricidam tremor capitis,aut alia ſimilis pœna ſecuta eſt , ceu ſignum aliquod à Deo

Digitized by Google

poſitum ne quicumque illum vagum & erronem ex diuina ſententia inueniſſet, occideret. Hic profugus ærumnam ſuam coniugio cum Calmana ſorore & ex ea ſuſcepto Enoch filio ſolatus eſt, errores verò ſuos in oppido de nomine filij excitato finire non potuit, at vitam potuit. Namque illum (ſi credere fas eſt) dum inter ſyluas errat vt fera, ſicuti feram confixit Lamech ipſius Caïni infelix nepos & incautus venator, imò cæcus vt volunt, cuius quia puer qui regebat veſtigia, malè direxit manum, percuſſus fuſte periit, vti deinceps Lamech iratis vxoribus indicauit, *Occidi virum in vulnus meum & adoleſcentulum in liuorem meum.* Vno verbo ambigua eſt mors parricidæ Cain, quo tempore aut loco aut genere mortis obierit. Certiſſimè conſtat adamum poſt ſubſtitutum in locum Abelis Seth filium, triginta ſupra nongentos annos natum mortis ſubjiſſe edictum. Dignus hic quem genus humanum recolat vt authorem, licet citiùs peremptor fuerit quàm parens, tamen tam in peccando felix vt Deum in terras deduxerit, alterum velut Adam, ſed vtique meliorem, id eſt primi cum poſteris Redemptorem.

De Noë Patriarcha.

CAPVT II.

Ex 5. 6. ad 11. c. Geneſ.

POſt Adamum & Sethum octaua ſoboles ortus eſt Noë inſtaurator mundi diluuio abſorpti factus, quando ad noui ſeminarium reſeruatus eſt. Proauos habuit Enos Sethi filium; deinde Caïnam, Malaleel, Iared, Enoch, quem tulit Deus & ſubduxit à conſortio hominum [viuere adhuc traditur ſerò admodum moriturus] poſt Enoch Mathuſala, poſt Mathuſalam Lamech inter maiores Noë computantur. Poſtremus tanti huius Patriarchæ genitor filium intellexit quantus futurus eſſet, cum ait: *Iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra cui maledixit Dominus.* Igitur de Noë multa, nihil de maioribus, quibus ſicut antecelluit virtute, ita peculiariter de illo ſcribendum fuit. Vnus hic cum tota familia, quando placuit Deo homines aquis extinguere inter tot funera excipitur, vt ſicut humanorum ſcelerum ſordibus eluendis immiſſum erat diluuium, ita intactum præteriret hominem nullius ſceleris conſcium. Arcam quâ ſe cum vxore & tribus liberis & eorum coniugibus condat, & fluctus enauiget iubetur ædificare.

De Arca & Diluuio temporibus Noë.

QVantum hæc Arca diuinæ artis miraculum! nam centum annorum hoc opus fuit, ad trecentos cubitos longa, quinquaginta latitudo ſeu capacitas vteri capiebat, ad triceſimum porrò cubitum altitudo ſurrexerat, & in arcum deſierat. Ligna dolata ſcalpris & bitumine lita totum in triſtega compingunt ex arte Dei ædificium. Non ſatis erat ſeruaſſe homines ad ſupplendam gentem, niſi & cuncti generis animantia in Arca Noë velut in ſeminarium concurriſſent. Mirum eſt, vt reſipiſcerent homines centum annos huic ligneæ moli ædificandæ conſumptos: nec reſipuiſſe tamen obfirmatos vitiis, inolitâ vbivis peccandi conſuetudine, *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam*. Gigantes tunc erant, id eſt homines nimij corporis ob deformem libidinem, animo quoque ſublimes audebant in Deum, & montes, vt fert fabula, montibus imponebant, nempe ſceleribus ſcelera cumulabant, hinc eos ſollicitabat forma mulierum, illinc perſuadebat impunitas. Sed vix in Arcam cum cibariis intrauerat Noë, & mox effrænis hominum libido Deum ſenſit vltorem; quippe in dies efferueſcens & multiplicatâ prole audacior ſenſim aquis extincta eſt: quadraginta per dies noctesque ruit imber de Cœlo, inundata tellus, operti

montes etiam Armeniæ, & ſic fluctuans Arca totum orbem portabat. Dimiſſo coruo nec redeunte (detinebant cadauera) deinde bis è feneſtra emiſſa columba, intellectum eſt, aquas imminutas ſedisse, vbi ramum virentis oleæ roſtro prætulit pacis amicum animal. Tandem egreſſus eſt Noë & totus cum eo mundus emerſit, & ne rurſus timeretur tam prodigioſa eluuies, poſuit Deus arcum in nubibus; Quàm felicis Augurij! ſignificabat enim placatum Deum ex ſacrificio Noë. Primam vitem panxit & ordine poſuit, ſed noui liquoris dulcedinem hauriens, & vim ocultam non capiens, captus eſt ipſe à vino, quod nec ſuo pepercit authori. Ebrius crapulam edormit & nudat etiam indecorè membra, vidit Cham filius & riſit, & cum riſu rem pudoris fratribus expoſuit, ſed in Chamo læſa pietas: hinc in maledicta Patris euigilantis incidit, quin etiam audiit poſteros ſeruitute damnatos, ne leuis pœna videretur, ſi in vno parente conſiſteret. Duo reliqui fratres accipiunt poteſtatem in poſteros fratris, digna piæ mentis hæc merces, vt qui auerſis frontibus & rapto pallio membra patris velauerant.

De diuiſione Orbis & Turri Babel

TVnc orbis vna Regio erat, vna lingua, vnus populus, ſed creſcentem

Digitized by Google

hominum fœturam cum terra vna capere non poſſet pleræque mundi factæ ſunt partes, aliis aliò tendentibus & ſe in diuerſas gentes & linguas ſcindentibus. Sub Heber (vnde Hebræorum nomen) facta hæc dicitur mundi partitio in Aſiam, Europam, Africam. Prima filiis Sem contigit, media Chananæis, poſtrema poſteris Iaphet. Huius diuortii linguarum cauſa, turris Babel. Nemrod abnepos filiorum Noë, idemque Gigas & alii multi celſiſſimam turrim ad Cœlum vſque educunt, tum vt propiùs Deum ſuâ ſuperbiâ appetant, tum vt perenne ſibi faciant nomen: deerant ſaxa, lateres cocti pro ſaxis, bitumen pro cæmento fuit. Sed hanc audaciæ molem, ne diſſimulante Deo altiùs exeat, protinùs eodem imperante eruunt Angeli à fundamentis. Quâ arte id fecerint, diuinum eſt. Confundunt illi ædificantium linguas, mox cum ſocius loquentem ſocium non intelligeret, dirempta eſt ſocietas omnis. Hinc ſeptuaginta duæ linguæ totidem Noë familias in diuerſa orbis miſêre. In locum turris ſucceſſit Ciuitas, quæ Babylon dicta à confuſione linguarum. Sic factum eſt vt idem Noë dum viueret & mundum propê periiſſe aquis viderit & enataſſe naufragiò, verè alter idcirco noui orbis Pater cenſendus.

De Abraham Patriarcha.

CAPVT III.

Ex cap. 12. ad 21. Geneſ.

HIc eſt ille populi Pater Iudaici, & Eccleſiæ Gentium præcipuum columen, Dei præſertim ſeruus obedientiſſimus, vt quidquid Deus inſtaret iubendo, ille parendo nunquam deficeret. Quater migrare loco & mutare ſedes iuſſus, Patriam vbique eſſe intellexit. Primùm relictâ domo Paternâ, gente, cognatione, ad Chanaan ex oppido Haran ſe tranſtulit. Vxor comes aſſumpta, & Loth nepos ex fratre Aram, tota inſuper ſupellex cum vernaculis tranſlata eſt vt ſpem redeundi ſibi præcluderet. Mox cogente fame, terræ hunc angulum, vbi poſito altari & tentorio Religioni vacabat & familiæ, mutat cum Ægypto licet tunc ſuperſtitioſiſſima gente, quam adire res erat periculo proxima, niſi Deus præciperet. Vix ingreſſus, timuit formoſæ Coniugis pudicitiæ, timuit & vitæ ſuæ. Prudens ille diſſimulauit Coniugem & profeſſus eſt conſanguineam, nec mentitus eſt (reuera ſobrina aut neptis potuit tunc in vxorem duci) ſpe plenus conſulturum Deum vxoris pudicitæ, quæ res eſt Dei, ſi vitæ ſuæ præcaueret ipſe. Nec fefellit opinio. Rex Pharao dirè per no-

Digitized by Google

ctem flagellatur à Deo, donec dimiſſa Sarâ cum viro, abſtinuìt furto ac libidine. Raptę mulieri ſic violenter illudi poterat, niſi Deus plagis voluptatem auerteret. Ex Ægypto reuerſus in Haran Loth comite, breui diſſociari ab ipſo oportuit. Orta rixa ìnter vtriuſque paſtores, vtrumque loco diuiſit non animo. O noxias & incommodas opes quę nec cognatos habitare ſinunt communiter! Anguſta viſa eſt hæc terræ portio tantis viris totque diuitiis continendis. Ille multi auri argentique diues erat, hic pecore & armentis abundabat.

De prælio Abram cum quinque Regibus.

Captus Loth in Sodomis (Sodomam quippe datâ ſibi optione adierat, Patruus ìn Hebron ad conualem Mambre venerat) abducebatur vt ſeruus à Cordolahomor Rege Perſarum. Sed Abram inſtructo mox exercitu ex decem & octo vernaculis ſupra trecentos facto de nocte impetu nihilominus illuſtrem parat victoriam. Nam quatuor victores Reges de quinque Pentapolis Regibus in fugam vertit, Nepotem recipit, relictis ſarcinis & prædâ potìtur. Ita, vt tulit occaſio, virum pium & Religioſum miſcuìt cum milite ac ſtrenuo duce; & ne militarem virtutem corrumperet auaritia, Regi Sodomorum manubias dedit.

Digitized by Google

dixerat Rex: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, at contrà Abram *leuo manum ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cœli & terræ, quod à filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt*, ne dicas: *Ego ditaui Abram.* Vt demum hanc victoriam Deo redderet, quo protegente vicerat decimam ex omnibus Melchiſedech Regi ſimul ac Sacerdoti conſecrauit.

De liberis Abram, Iſaac & Iſmaele.

AFfluenti omnibus copiis Abram deerat filius, qui promiſſus bis terque diuino Oraculo, conceſſus eſt tandem poſt Iſmahelem ex Agar ancilla. Iſmahelem octogeſimo ſexto ætatis anno cum genuiſſet Abram annuente imò hortante Sarâ, centeſimo etiam anno promiſſam à tribus Angelis ſobolem creari poſſe ſperauit, riſit verò Sara & ex riſu incredulo appellatus eſt puer Iſaac, quem nonagenaria mater ipſa lactauit. Vtrumque prodigii ſimile & vterum geſtaſſe aniculam & lac vberibus expreſſiſſe. Natus, & octauo die circumciſus eſt puer, vt patrem hoc circumciſionis ſtigmate pleniùs referret, & ſicut ille minutus corpore, virtute & nomine creuerat (Abraham deinceps vocatus qui priùs Abram) ita hic quoque populi Dei Regum ac Ducum fœcunda eſſet origo. Magni cum lætitia

epuli ablactatus Iſaac permiſſus eſt cum Iſmahele creſcere & iiſdem moribus inſtitui. Sed cum colludentes vidiſſet aliquando Sara, timuit ne quaſi per ludum Iſaac minorem occideret maior Iſmahel. Hæreditatem forte affectans ſuggerente Agar matre. Tanti vel mali primâ ſuſpicione, quin & Dei monitu, ciicitur cum filio ancilla mater in inuiam ſolitudinem, & ita cum matribus diſſociantur filii, quos ſicut diuerſo vtero natura fuderat, ita contrariis moribus imbuit educatio, ſiquidem Iſmahel vìr effectus, & Ægyptiâ vxore ductâ ferino quaſi more vixit inter feras & ſaxa, adeo bellator & ſagittandi peritus, vt verè in prouerbium ierit: *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Contra mitiſſimus Iſaac & domi aſſiduus, & parentum obſeruantiſſimus, vitam ſemper paratior perdere quàm obedientiam.

De ſacrificio Abraham.

IVſſus à Deo Abraham vnicum filium mactare pro hoſtia, ſicut filium Pater libens Religioni poſthabuerat, mox dicto obediens ex conſcenſo monte qui ſibi monſtratus fuerat, ita & filius ſtruem lignorum portat ad ſui incendinm, præbet manus ad vincula, & ceruicem aptat ad ictum paterni gladii, niſi prohiberet Angelus. Vno verbo ad mortem vſque obedientiſſimus. O in-

credibilem animi paterni conſtantiam, qui Patrem funditus exuit, vt Deo parêret! O fidem ſingularem, credidit ſenex etiam ex occiſo, ſed tamen rediuiuo filio exituram populorum innumeram gentem! O filii ſimplex & rarum obſequium! Vtriuſque virtutis velut admirator Deus & Patri filium intactum relinquit, & filio iuratus ſpondet, ſe olim poſt mille Reges ex illo vt ex Patre oriundum. Itaque non moritur Iſaac tam noua victima, ſuffecto in illius locum ariete, ſed moritur mater Sara viginti ſeptem ſupra centum expletis annis. Illam vir diu defletam digno proſecutus eſt funere, & ſepulchro condidit ingenti pecuniâ empto ab Ephron Ethæorum Principe. Et hic mortales docuit dignam eſſe prudente viro curam ſepulchri. Fuit in hoc, ſpelunca duplex, vt poſtquam vna Saram Conjugem concluſerat, altera pòſt Abraham acciperet. Vbi poſitus eſt ille ſeptuageſimo quinto ſupra centeſimum euoluto anno, ita confectus ſenio, vt potiùs deſierit viuere, quam viſus ſit mori. Dignus vir tantus qui vel nunquam obiret, vel pluſquam tria expleret ſæcula! Dignus quoque tam ſanctâ Conjuge, cuius ſi forma eximia Regibus tum Pharaoni, tum Abimelech libidinem indidit, at pudicitia (Deo fauente) extinxit, & credita ſoror Abraham, coniugii iura ſeruauit.

De

De conflagratione Sodomæ & Gomorrhæ.

HIc denique magnus eſt Abraham, cuius oratio ab vniuerſa Pentapoli ignem de Cœlo ingruentem auerterat, ſi caſti vel decem inuenti fuiſſent in quinque vrbibus homines. Exaudita tamen vota tanti viri in ſeruato Loth nepote & vtrâque illius filiâ. Cæterum abſumptæ igneo imbre Sodoma & Gomorrha famoſæ olim vrbes, nunc cinis & fauilla. In monumentum rei diu ſtetit imago vxoris Loth ex ſale conficta, & mare (vt vocant) mortuum & tota Regio infœcunda. Hanc peſtem è Cœlo miſit vindex Deus Sodomitici flagitii, quod quia commune & familiare toti populo, omni ſexui, cunctæ ætati, ideo conflagrauit populus omnis, ætas, ſexus, conditio. Tam fœdum, tam horribile viſum eſt Angelis hoc ſpectaculum ignis, totam in cineres Sodomam & quaſi in mortem nominis redigentis, vt crederent oculos Loth tam fœdo pollui poſſe ſpectaculo. Abductus igitur in vrbem Segor & inde in montem, dixerant enim Angeli; *In montem ſaluum te fac, ne & tu ſimul pereas,* Præceptum illi eſt ne poſt tergum reſpiceret. Vxor rata licere ſibi quod erat prohibitum viro, conuertit retro pedem & oculos, ſed ipſa viciſſim in pœnam, conuerſa eſt ex fœmina in ſalis ſtatuam, vt ſic ſale con-

Digitized by Google

dita curioſitatem in cæteris emendaret. Itaque Loth vnus ſoſpes & duæ filiæ: Credidêre iſtæ funditùs in excidio Sodomę periiſſe genus humanum. Itaque Pater (horribile dictu) cum vtràque filiâ rem mariti habuit, dormiens quidem, ſed non ſobrius ac prudens ſatis. Nam duæ Virgines Patrem vino impleuerant, vt quælibet ſuam noctem & prolem haberet, & ambæ non tam explerent libidinem, quam vt perituro orbi ſuccurrerent. Maior Moabitici populi author, minor Ammonitici parens effecta eſt.

De Iſaac Patriarcha.

CAPVT IV.

Ex cap. 21. vſque ad 28. Geneſ.

ABrahæ Patri ſucceſſit hæres Iſaac (nam cæteros ex Cethura ſeu Agar filios legatis muneribus ditauit.) Hic à Deo vt apparebat deſtinatus neci, permiſſus eſt viuere, cuius vita inſigne morum futura erat. Non debuit citò mori qui Patri ad mortem vſque morem geſſerat. Et quia ex Iſaac oriunda erat Chriſti familia, imò & Chriſtus ipſe, traditur ipſi Rebecca in Coniugem. Nec vetat eſſe cognatam(ſic ordinante Deo) quippe illi Bathuel Pater, ex Nachore fratre Abraham progenitus, nec erubeſcit virgo accipere munera ab Eliezer

pronu bo, vbi datas inaures & armillas intelligit eſſe dona conſanguinei. Ad hoc coniugium non tam puellæ forma inclita, quàm plena officii charitas profuit. Nam roganti Eliezer pauxillum aquæ tum ſibi, tum camelis de via feſſis, protinùs infundit illa & camelos aquat quantùm ſatis erat. Hoc vno experimento cogitauerat Eliezer probare quæ futura eſſet vxor Domini ſui. *Quacumque*, inquit, *Puella mihi potum dederit ex hydria, quin & camelos meos decem adaquauerit, hanc certiſſimè vxorem Iſaac optabo ex omnibus qui ad fontem conueniunt.* Incidit illi hæc cogitatio, humana an diuina incertum eſt. Non minor charitas Patris quàm filiæ erga Eliezer. Deducto illi in domum Bathuelis mox loti pedes, deſtratì cameli, appoſita fœnum & palea, inſtructa menſa: ſed ex tot tantiſque officiis bonorum hoſpitum præcipuum fuit deſponſatio puellæ. Negare filiam non potuit pater tam cœleſti omine deſtinatam Iſaac. *A Domino* (inquit) *egreſſus eſt ſermo, non poſſumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum.* Volens etiam abducitur Rebecca. Interrogata, vis ire cum homine illo? reſpondit ingenuè, vadam. Quantis abeuntem votis proſecuti ſint parentes imprecantes proſpera, teſtantur hęc verba. *Soror noſtra es, creſcas in mille millia & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.*

De liberis Iſaac, Iacob & Eſau.

DVctam Coniugem Iſaac tam immensè diligit vt amiſſę matris dolorem Rebeccæ amor tandem lenierit. O beatum par, ſi liberis non caruiſſet! Sterilitatem tamen vteri vicit oratio, & quia duplex ob vtrumque Coniugem orantem, ita geminam prolem obtinet. Ante partum collidunt ſe in vtero paruuli, & quaſi iam de laurea decertant & futuram inter ipſos diſcordiam de vtero ipſo anticipant. Et cum vìm faceret matri infantilis hęc altercatio, *Si ſic mihi futurum erat* (inquit) *quid neceſſe fuit concipere?* Conſulto Oraculo quid hoc rei foret, reſponſum eſt duas in vtero gentes ſeu populos contineri; quorum alter ſcilicet minor maiorem debellaret; hoc geminorum partus pręmonſtrauit. Nam qui ſecundo loco prodiit, plantam prioris premebat, vt vel vnicus videretur naſci puer, vel duo ſimul viderentur effuſi. Inde Iacob, id eſt ſupplantator, poſterior dictus, prior Eſaü, id eſt pilis horridus ac rufus. Illum mater, hunc pater charum habuit ob diſſimilitudinem morum. Nam Iacob placidus ac mitis domi & quaſi in gremio matris creuerat, Eſaü venator, ferox & quaſi ferinus in agris euaſerat. Vnum erat quo patri placeret, & tam ferus pietatem tamen coleret. Frequenter pingui ferinâ patrem paſcebat. Delectabatur

pater tam ſuaui nutritio. Quin etiam ſenior factus & caligans Iſaac, iam propè ſuo Eſaü benedixerat id eſt primogeniti iura conceſſerat, niſi conſcia Rebecca tantum patris inuidens beneficium Eſaü, in ſuas delicias, hoc eſt in Iacob cauta tranſtuliſſet. At hic lęuis erat corpore, hirſutus ille, nec tam facile vnus alterum diſſimulare poterat: Quid in re tam ardua conſilii? quid induſtrię? omne conſilium ſupplet ars fœminea, & tandem pius dolus aufert quod virtus non poterat. Dum vagatur campoſque luſtrat Eſaü vt patri placitum quęrat edulium, citò conficit mater ex hœdi carne pulmentum. Et vt Iacob Eſaü vel falſus credatur hœdinis pellibus lęues filii manus & colli nuda circumdat, reliquum corpus optimis & fragrantibus Eſaü veſtibus induit, vt vel ſic veriùs fratrem reddat. Dolum prodidit vox & manus fecere errorem, *Vox*, inquit, *vox Iacob eſt, manus autem manus ſunt Eſaü.*

De benedictionibus.

ITa deluſus Senex filios diſcordes fecit, inter quos nulla pax deinceps aut reconciliatę gratię ſigna fuerunt, ſic fictus Eſaü benedictionem patris feliciter caligantis ſibi pręripuit & hæres omnium bonorum ſcriptus eſt. De rore Cœli & de pinguedine terræ, accepto in fratrem & poſteros illius ſummo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Imperio. At non ſine veri Eſaü exhæredati rugitu & indignatione propè hoſtili. Vidit hic ſe altera vice ſupplantatum à Iacob, qui priùs primogeniti ius & locum lentis edulio mercatus, nunc dolo & mentito habitu benedictionem paternam abſtulerat. Inſtat tamen Eſaü & à ſene vel de mendacio, vel de myſterio ſtupente & anxio, tandem lachrymis aliam benedictionem impetrat; ſed præpoſteram, nec ferocis animi votis reſpondentem, ſiquidem iubetur ſaltem in poſteris fratri ſeruire, ſpe datâ ſoluendæ olim ſeruitutis. Hac ſpe nihilo placatior factus oderat fratrem, & furtum quod recuperare non datur, parat vlciſci. Vltio in patris vſque obitum differtur, ne vno ictu fratrem patremque è viuis auferat. Rem ſuſpicata mater, quæ in filium Iacob hæreditatem primogeniti tranſtulerat fratris, vitam quoque è periculis eripere ſtudet. Itaque periclitantem Iacob ad auunculum Laban mittit, vt ibi ſeu perfugium ſeu exilium quærat, donec ſileat germani indignatio. Interim Iſaac octoginta annis ſupra centum expletis, excidit è viuis, parentantibus ipſi vtroque filio Iacob & Eſaü, in hoc ſaltem officium pietatis conſpirantibus animis, cœterùm, diſcordibus. O pulchram ſanctiſſimi viri mortem ipſâ vitâ efficaciorem, quæ odia fratrum acerbiſſima extinguere potuit vel ſuſpendere! Quis virum hunc vel de fortitudine admirari ſufficiat, vel col-

laudare de prudentia? Tam fortis ille vt timuerint hoſtes: teſtis Rex Palæſtinorum Abimelech, quem pacem petere compulit: amauerint ſui, teſtis vnicus in vxorem amor, liberorum ſollicita educatio, ſeruorum non minus rectè inſtituta quâm ampla familia. Magni fecit quoque ipſum Deus, vt qui nomen Iſaac ſicut & Patris Abraham diuino attexuerit, dictus deinceps *Deus Abraham, Deus Iſaac.*

De Iacob Patriarcha.

CAPVT V.

IAcob poſteà Iſrael dictus à conſpecto Deo in Angeli ſpecie, duodecim filiorum pater & vnicæ puellæ cui nomen Dina. Hic populum ac familiam Dei propagaturus Coniuges habuit binas ſorores, primùm Lia deſponſa eſt, deinde Rachel, nec tamen inceſtus ille thorus fuit, quem Deus ſanctum fecerat. Cæterum tanto labore & ærumnâ, tot auunculi fraudibus ad optatum coniugium peruenit Iacob, vt dulcia non niſi poſt amara guſtauerit. Primùm quàm longum ac difficile iter ad Laban expediendum fuit, ſed Deo apparente, vel adiuuante de Scala, cuius ima terram, pars ſumma cœlum pulſabat ſimul commitantibus Angelis qui nunc deſcendendo per gradus Scalæ, nunc aſcen-

Ex cap. 28. vſque ad 38.

dendo ad eum, pulchras vices ſeruabant, labor omnis viæ releuatus eſt ſenſim. Quantus hic vir cui ſe tota Regia Cœli circumfundebat, cui Deus ipſe Scalæ innixus quaſi de ſuggeſtu futura pronuntiat dormienti? Repentè hæc viſa horrorem, poſteà fiduciam fecere, inde Religio loci verendi ob præſens Dei Numen, inde votum de decima fructuum pendenda, inde titulus ex lapide capiti ſuppoſito. Itinere confecto venienti Iacob occurrit Rachel, quæ ſicut conſobrini caſtum admiſit oſculum, ita feſtinauit Patri denuntiare illius aduentum. His illa officiis ad futuras nuptias proludebat. Sed tanti erat forma pulcherrimæ Rachelis vt ſeptenni labore in cuſtodia gregis Laban quaſi merces obtinenda fuerit, & vtinam ſoceri fraus nulla fruſtrata eſſet laborem generi, certè in gratiam tam boni coniugii & breue tempus & labor exiguus videbatur. Sic infra laborem amor fuit, & virginis forma ſeruitii tædia abſterſit.

De duabus vxoribus Iacob.

EVoluto ſeptennio (ô iniuſtas auaritiæ ſordes!) non Rachel nuptui traditur, ſed Lia, maior quidem natu, at indecora vultu & Lippa oculis. Cauſatus eſt Laban conſuetudinem loci, quia iuniores natu filiæ poſtremæ nubunt: ſed verè in cauſa fuit auaritia, nouum ſeptennium laboris exigere voluit Laban, priuſquam Rachelem traderet.

Septem

Septem dierum conuiuio genialis thori lætitia tranſacta eſt. Sed hanc lætitiam triſtitia non parua excipit. Nam Rachel infœcunda luget, dum interim Lia quatnor ſubinde enixa eſt liberos, Ruben, Simeonem, Leui & Iudam. Certè Deus faſtum formæ Rachelis vtero infœcundo deprimere voluit, & ne totus amor Iacob in Rachelem tranſiret deſpectâ Liâ: liberos tamen Rachel arte quærit, quos negat natura, vt quos proprio vtero non poteſt, ſuſcipiat alieno. Viro ſuo ſupponit ancillam Balam, quæ quaſi ex vtero Dominæ duplicem partum effundit primâ vice Dan, poſteà Nephtalim, quos Rachel, quia non genuit ipſa, ſaltem adoptat. Artem hanc ſimili arte eluſit Lia. Ex Zelpha famula duos per virum extorquet & arrogat ſibi filios Gad & Aſer. Dolum hunc vltus eſt Deus; interruptâ fœcunditate Liæ ad tempus. Sed rurſus duplici prole maſculà Iſſachar & Zabulon intra duos annos intumuit vterus. Nata eſt poſtremò Dina ne quis ſexus ex Lia deeſſet amplæ Iacob familiæ. Tandem etiam Rachel ne perpetuò inuideret ſorori, Ioſeph peperit. Puer hic natus & matris ignominiam eraſit & alterius prolis habendæ obſes fuit. *Addat mihi* (inquit) *Dominus filium alterum*. Addidit Deus ſed damno matris, ſi quidem ſecundæ proli vitam dando amiſit ipſa dolore puerperii. Ideo expirans mater filium vocat Benoni id eſt filium doloris, Pater vero

Beniamin appellat, id eſt filium dextræ.

De ſtupro illato Dinæ.

FElix Iacob tot filiorum pater niſi filiam procreaſſet, quæ ſtuprum paſſa & patrem luctu conficit, & domum dedecore fœdat, & vrbem Sichem totam cædibus iniquè proſternit. Hæc virgo dum cupit ſe videri & amari non timet, viſa eſt à Sichem filio Regis Hemor, & hic ex illa per vim abſtulit Princeps quod ſponte non dederat. Sed tam breue gaudium (quod ſolet in cæteris) luctus ingens excipit, & mors immatura ſicut florem pruina decoxit. Data eſt in Coniugem Dina corruptori, ſi tamen circumcidi vellet cum ſuis. Et protinùs circumcidit ſe ipſe & cum eo vniuerſus ſexus virilis in oppido Sichem, vſqueadeo vrgebat amor, ſed latuit dolus amantem, nam fratres Dinæ circumciſionem veluti occaſionem captant perdendi Regis cum filio & totius plebis delendæ. Illi tertio die, quo vulnus in recutitis acrius ardet, per vrbem hoſtili furore bacchantur. Tandem ita ſtrage, cæde, prædatione ſæuiunt, vt deinde vrbem in vrbe quæſierint finitimi populi. Huius cladis miſertus Iacob, & indignatus in filios authores præſertim Simeonem & Leui increpat, & *Turbatis* (inquit) *me & odioſum feciſtis me Chananæis. Nos pauci ſumus, illi congregati percutient me & de-*

lebor ego & domus mea. Digna viro ſancto, digna patre increpatio, vt qui nec faciendam vltionem iuſſerit, nec factum approbet.

De fraudibus Laban erga Iacob.

QVis labores, ærumnas & itinera Iacob enumeret? quanta in domo auunculi paſſus? quot fraudes vafri ingenii expertus? decies intra ſex annos pactâ mercede fruſtratus eſt, nunc varios fœtus ouium nunc vnicolores ſibi optante Laban. Imprimìs quidquid ex pacto maculoſum & varium natum eſſet ex grege conceſſum eſt Iacob: quidquid album aut nigrum Laban ſuum eſſe voluit. Tunc omnes ferè oues varios fœtus enixæ ob populeas virgas quarum pars nuda cortice id eſt candida, cætera viridis, colores gregis miſcuit in ipſa commixtione ſexuum. Inuidit ſtatim ſocer genero tantam ouium & caprarum fœturam, ideo ſibi pecus omne ſparſo vellere natum attribuit. Sed qui alios fallere voluit, falſus ipſe ac deluſus eſt. Quippe Iacob oues & capræ naſcebantur vnicolores, id eſt nigræ vel candidæ, quia virgulas arborum non applicuerat. Iterum Laban optare iſtas nunc alias & nunquam optata conſequi. Quid enim hominis conſilium proficit, niſi ſecundet Deus? Ob hæc ingratum ſocerum clam & iubente Deo deſerit tandem patientiſſimus gener. Fugientem

inſecutus Laban redire cogitur, quippe Deus vetuerat ne quid aſperiùs aut diceret aut ageret; quin & fœdus vtrinque percuſſum eſt. Ideo tumulus teſtis ex aceruo lapidum'

De occurſu Eſaü fratris.

SEd illæſus à ſocero Iacob, Eſaü fratrem venientem formidat. Hinc hoſtile illius odium, hinc frequens comitatus (nam cum quadringentis viris inſtabat) terrificant hominem. Sed vbi videt occurrentes Angelos velut caſtra Dei, homines timere deſinit, Deo ipſo armatus. Imò victoriæ de Germano preiudicium accipit, luctatus cum Deo in forma Angeli & victor effectus. Vnde Oraculum. *Quid times Iſrael, quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines praualebis?* Ex hac horribili lucta claudicat Iacob, tacto neruo & luxato femore, ſed mutatur nomen in melius, dictus Iſraël à viſo Deo. Itaque metu poſito fratrem adit Iacob, pronus ſalutat, ac deinde totus ex familia exercitus. Nam præmiſſo per nuntios munere totam familiam & pecus in duas quaſi turmas diuiſerat, vt ſuperaret vna, ſi periret altera, irruente fratre vt in ouile lupo. Ordo hic erat exercitus. In principio ancillæ duæ cum liberis earum, medii Lia cum filiis, poſtremo loco Rachel cum ſuo Ioſeph. Sic Pater familias Ducem agit in re familia-

ri. Tandem placatus Eſaü partim munere, partim honore, præſertim diuino Numine relegit iter ſuum & ſecurum periculi dimittit fratrem. Pro tantis beneficiis gratias Deo habet Iacob, & ſæpe erecto altari Deum litando ſibi propitiat. Quis porrò errores & varia Iacob itinera explicet? A Patre primùm in Meſopotamiam ad oppidum Haran, hinc ad Sochot tranſit ad ſalem Sichimorum. A Sichimis tandem redit ad Patrem, quo defuncto tot domeſticis iactatur procellis, nam præter Dinæ dedecus, primogenitus Ruben, paternum thorum polluit, vitiatâ concubinâ Balâ, dilectus Ioſeph diuenditur à fratribus, Iudas apud exteros coniugia quærit lugente Patre, hunc fames expellit propriis laribus in Ægyptumque amandat, ſeruire cogit Pharaoni. Tot denique labores tot dies mali peregrinationis vetulum Iacob conficiunt vt in vnica morte portum quietis inuenerit.

De Iuda Patriarcha.

CAPVT VI.

PRimis Patribus annumerandus eſt Iudas, ex quo Reges Iudæi imò & Chriſtus ipſe ſecundum carnem. Iſte Chananæi viri filiam Coniugem accipit, hoc eſt alienigenam præter morem & *Ex cap. 38. Gen.*

placitum patris. Ac licet hîc myſterium ſubeſſet aliquod, non modicè tamen indoluit pater. Ex hoc coniugio tres liberi creati Her, Onam & Sela. Duo primi vltrice Dei manu cadunt, quia coniugium cum Thamar vtriuſque vxore corrumpunt. Hæc deinde vidua, quia negatur ſibi minimus natu Sela (ſi quidem pater timuerat ne hic pari cum fratribus ſorte occumberet) Iudam veluti coniugem appetit. Sed quia meretrix credita eſt, meretricio quoque amore polluta eſt. Vbi geſtat vterum Nurus, viuam præcipit Iudas aduri, & imprudens in proprium ſcelus fit durus cenſor. Sed illa poſitis in medium annulo, armillâ & baculo Iudæ, quæ ille munera dederat quaſi præmia veneris, facile abſoluitur. Nam dum rapitur ad pœnam, exclamat: *De viro cuius hac ſunt concepi*, & iudicem tam pœnitet iniuſti iudicii vt pro Nuru exclamet, *iuſtior me eſt quia non tradidi eam Sela filio meo*. Quis crederet tam fœdum concubitum mirabili partu concluſum, vt gemini in vtero contenderent, vter viam panderet miraculo, & tandem poſterior priorem anteuertit. Priorem vitâ coccineâ reuinxerat obſtetrix, vt priore loco natum diſtingueret, falsò dicens: *Iſte egredietur prior*, ſed iſto retrahente manum quam protulerat, erupit alter ſtupente miraculum obſtetrice & exclamante, *Quare diuiſa eſt propter te maceria?* & ob hæc dictus eſt hic Phares, alter Zara. Hic

Digitized by Google

vterque, licet ex nefando inceſto, quot poſteros tot Reges aut ſaltem populi duces genuere, ſicut ex mediis ſentibus naſcuntur roſæ.

De Ioſeph Patriarcha.

CAPVT VII.

PRæcipuum locum inter Patres Authores populi Dei caſtiſſimus Ioſeph obtinet, qui licet vndecim fratrum fere minimus, ſi ætatem ſpectes, dignitate tamen primus, tandem adoratus ab ipſis inſtar Regis, ita illi viſa quædam & ſomnia promiſerant, alterum procumbentium vndecim manipulorum coram duodecimo qui Ioſeph erat; alterum vndecim ſtellarum duodecimam in hoc puero adorantium. Hunc Pater ob eximiam indolem & quia ſerò genuerat, liberaliter educauit, & dilexit impenſiùs. Sed deliciæ Patris & tunicâ polymitâ inſignis inter fratres adoleſcens, inuidiæ veluti feræ peſſimæ præda fuit, citra ſanguinem tamen, vt vel ex hoc liqueret quàm rara fratrum concordia. Nam puerum fratres vix ſex decim annos natum à Patre in agros miſſum tunicâ exuunt, in ciſternamque proiiciunt, indeque eductum; ô Barbaries, in Ægyptum amandant! Non pudet pretium à mercatoribus accipere

Ex cap. 39. ad finem libri.

pro ſanguine cui pepercerant. Quanta in vnum crimen ſuccurrunt ſcelera. Verùm inclyta Ioſeph virtus peregrino ſolo egebat, vt cultiùs effloreſceret, & hîc etiam calumniæ vento percuti debuit vt altiùs radices ageret. Emptus ille in ſeruum à Putiphare Eunucho regis incidit in ſuſpicionem ſtupri cum Coniuge ac Domina, nec ſibi patrocinante relicto ad fugam pallio, miſſus in cuſtodiam, pœnâ ſua alienum flagitium expiauit. O mirabilem Dei cuncta adminiſtrantis, & ſi fas eſt dicere, fatorum ordinem, quo falſus reus verus Rex Ægypti factus eſt, & ex ergaſtulo gradum fecit ad Regiam.

De ſomniis Regis Pharaonis.

TVnc Ægyptì Rex (Pharao nomen erat) diuerſa ſomniauerat tam horrenda viſu quàm ambigua explicatu. Viderat hinc è ripa Nili ſeptem boues pingues ac lætas ac deinde totidem macilentas ac deformes, illaſque ab iſtis tandem turpiter deuoratas. Illinc ſeptem ſpicæ apparuerant plenæ atque formoſæ, quas aliæ ſeptem tenues & vredine percuſſæ quaſi datum pabulum conſumpſerant. Somniorum Regis nullus in aula certus coniector fuit, quaſi de induſtria vt tota penes Ioſeph interpretatio ſtaret, & ex interpretatione Regnum ei obtingeret. Namque ſeptem ſteriles annos poſt ſeptem annonæ ube-

res ex bis ſeptem bobus aut ſpicis auguratus, præfectus eſt rei frumentariæ, mox toti Ægypto Rex alter datus, additus collo torquis ex auro & inſertus digito annulus Regis. Currus demùm pro vehiculo fuit, & pro veſte ſtola byſſina circumdata eſt. Fidem huic augurio fecit euentus ſummi tum Pincernæ Regis, tum piſtoris, quorum ille redierat in gratiam Principis, hic in cruce ſuſpenſus obierat ex vaticinio Ioſeph. Paulo poſt prodigii ſimilis fames ac ſterilitas toti Ægypto incubat: præceſſerat ſeptennis ſoli vbertas vix credibilis. Interim concluſæ intra Regis horrea ſegetes laxantur in alimoniam, pecuniis frumenta redimuntur, tandem vbi defecere pecuniæ, pecora, equi, boues, aſini cum panibus commutantur. Poſtremò vrgente in dies fame ſeſe ſuaque omnia, agros, vineas, fundos Regiæ ſeruituti Ægyptii mancipant. Egeſtas proxima res eſt ſeruituti. Ita tota quâ late patet Ægyptus Regis cenſum auxit & ærarium.

De pietate Io*ſeph erga fratres.*

EX Ægypto in alias Regiones permeauit fames, præſertim in Chananæam, gaudent enim ſerpere mala & virus ſuum vbique diffundere. A Chananæa frequentes accedunt fratres Ioſeph ſupplices & proni ad depellendam fa-

Digitized by Google

mem frumenta petunt & (ô miram ſomniorum fidem!) cuncti illum adorant vt Regem, quem antea vili pretio vendiderant. Cognouit ille fratres ab illis non viciſſim agnitus. Inde ſimulatæ minæ vt in exploratores & ſuſpectam gentem, inde ficta odia, acerbitates, ſupplicia, vera item beneficia, lauta conuiuia, ſemel & iterum redditæ intra ſaccos pecuniæ, & gratis conceſſa annona, ſæpius obortæ lachrymæ & ſuppreſſa ſuſpiria. Et in hoc luſit prudentia Ioſeph, vt loco vindicaret ſeriò illatam iniuriam. Diu ſe fratrem diſſimulare non potuit, qui fratrem agebat, id eſt in hoſpites tam beneficum. *Ego ſum* (ait rumpens altum ſilentium) *frater veſter quem vendidiſtis.* Fidem ſuperat quo ſtupore, quo gaudio, quanto etiam de præteritis dolore accepta vox Ioſeph in fratrum ruentis amplexus, ſingulis oſculo & oculo lachrymoſo blandientis. Deerat Pater Iacob ad cumulum gaudii. Accurrit ſenex tandem perſuaſus viuere eum quem deuoratum à feris iam pridem filii nuntiauerant. Reuiuiſcere viſus eſt moribundus ſenex conſpecto Ioſeph, & velle tantum gaudii morte finiri: *Iam lætus moriar* (inquit) *quia vidi faciem tuam & ſuperſtitem te relinquo.* Quippe non poterat lætiore exitu vitam concludere. Siluit primùm Ioſeph ſalutans patrem, lachrymis & crebro amplexu verba ſupplentibus, tum deinde monuit

fratres quo vultu, quo ſermone Rex adeundus: *Dicite*, inquit, *paſtores ouium ſumus*, vt in paſcua terræ Geſſen mitteret Rex vbi procul ab Ægyptiaca ſuperſtitione viuerent. Introduxit igitur filius patrem ad Regem; dubiumque ſenex magis coluerit Maieſtatem Regis, an Rex virtutem annoſam Iacob. Interrogatus à Rege quot annos natus: *Dies*, inquit, *peregrinationis, mea centum & triginta parui & mali.* Tandem vitæ ſuæ decurſum in illo tractu Rameſſes quo cum filiis edicto Regis ſe tranſtulerat, præclarâ morte compoſuit.

De benedictionibus morientis Iacob.

VBi ægrotare Patrem audiuit Ioſeph, venit cum filiis quos in Ægypto ex Aſcenes filia ſacerdotis Heliopolis ſuſceperat, vt Nepotes Auus, ſicut filios Pater benedictione ditaret. Et certè mirabilis hic ordo benedictionum Iacob, quæ totidem erant Oracula futurorum: Primùm Ruben primogenito, primogeniti iura denegat in pœnam inceſtati thori paterni. Simeonem & Leui ſocios & authores Sichimitæ necis portione hæreditatis mulctat, tum Iudam Regem ac victorem, Zabulon mercatorem, Iſſachar agricolam, Dan in ſuis poſteris iudicem & arbitrum populi, Gad bellatorem inuictum, Aſer pinguiſſimi ſoli dominum, Nephtalim habilem pugnæ, Ioſeph præcipuum inter fratres ac velut

primogenitum, Benjamin denique bellicoſum & prædatorem fore pronuntiat. Obtulerat Ioſeph Ephraim & Manaſſem filios, & hunc quia maiorem natu applicuit ad dexteram, Ephraim iuniorem ad ſiniſtram patris, ſed, ô præſciam mentem futurorum conuerſis manibus dextrâ Ephraim, ſiniſtrâ Manaſſem amplexus eſt Iacob & maiori prælatus eſt minor. Tantus Ægyptiorum fletus de morte viri ſanctiſſimi, vt ſeptuaginta dies luctus durauerit, tanta exequiarum pompa, vt tota ferè aula cum Ioſeph in Chananæam migrauerit, quò defuncti Patris oſſa tranſtulit Filius, vt ſanctiùs in ſpelunca Hebron cum Patribus ſuis Abraham & Iſaac acquieſceret. Soli fratres Ioſeph non tam lugere Patrem extinctum, quam timere fratrem vltorem qui memor iniuriæ, quam viuente Patre diſſimulauerat, nunc mortuo, periculum erat, ne totam iram effunderet. At ille tantus erat, vt iniurias quaſque poſſet contemnere, & indulgendo Fratribus quàm debellando hoſtes, clarior, auguſtiorque videri maluerit.

De perſecutione Regis Pharaonis.

ET quidem illi floruere opibus, pace & gaudio dum viueret Ioſeph, at vbi centum & decem expletis annis vitæ actuoſæ obiit, cæpere filii Iſraël noui Regis ſuperbiam aut ſæuitiam pati. Suſpecta huic Regi fuit incredibilis fœtura

noui populi, timuit ne hoſtes in ſuo regno foueret, qui tandem è Regno ejicerent & vel numero ipſo opprimerent. Vt tantum malum Rex auerteret (ô dura Regum Prudentia!) primùm gentem hanc operibus luti & lateris ad vrbes ædificandas opprimere parat, deinde ſexum virilem per obſtetrices abſcindit, imbelli reſeruato, tandem cum nec labore nec infantium iugulatione comminueret populum, præcipitari pueros recens natos iubet in flumen, vt ſcelus ſuum'aquis ſi poſſet, abſconderet, vel expiaret.

Anacephaleoſis de ſeptem Patriarchis.

CAPVT VIII.

HÆc eſt prima ætas ac velut infantia, tum orbis, tum Eccleſiæ quæ ſeptem annoſis ex Patribus ortum duxit & creuit. Cæterùm illi tam diuerſi inter ſe moribus, vt diſpari virtute conſpiraſſe tamen videantur in vnam populi Dei ſalutem. Quid Adamo primo hominum parente ſanctiùs? quid annoſius? certè huius ſanctitate quam reparauit ex peccato, & vitâ longiore opus fuit, vt ſpatium foret in cultu diuino inſtituendi primos mortales. Quid Noëmo ad miſericordiam promptiùs? talem peri-

turus orbis expetiuit ne funditùs interiret? Quid loquar de obedientiſſimo Abraham? debuit genus humanum huius exemplo ediſcere, quanti ſit ſeruire vni Deo? Quid mitis ac bonus Iſaac? quàm neceſſarius iſte vt filios ex vtero ipſo diſcordes vel in ipſa morte ſua concilians, duos olim populos ſociaret? Quid tanta in Iacob laborum patientia? niſi vt poſteros ad Ægypti ærumnas præpararet? Quorſum Iudas cui deſtinatum Imperium peregrino vſus coniugio, vt ſignificaret gentilem populum cum Hebræo miſcendum & perpetuo fœdere victurum? Ioſeph vero Regale faſtigium numquid populum Dei portendebat fore Regem ac victorem populorum? Priùs tamen in ſeruitutis iugum ducendus erat, deinde excuſſo illo futurus erat ex ſeruo Pharaonis Regum Dominus ac totius Princeps Palæſtinæ.

De mutatione populi ſeu Eccleſiæ Dei.

CAPVT IX.

Ex 2. c. Exod. vſque ad 14.

ITaque Moyſe & Aarone Germanis deſtinatis à Deo ducibus atque vltoribus, populus Hebræus ſub Regibus Ægypti ſeruiens, & dira paſſus libertatem recipit & Regnum Paleſtinæ inuadit. Solus ab Ægypti iugo liber Moyſes,

Digitized by Google

liberandi populi quaſi omen accepit. Quippe in profluentem etiam à matre proiectus poſtquam tribus menſibus latuiſſet nec celari ampliùs poſſet, fortè incidit in manus filiæ Pharaonis, & tam Regiis manibus excepto puero regnandi ſpes vltrò oblata eſt. Cæteros infantes flumen obruerat fluctibus, hic aquis extingui non potuit ſed de fiſcella ſcirpea lita bitumine in qua expoſitus fuerat in gremium filiæ Pharaonis tamquam matris traductus eſt. Quàm meritò propterea dictus Moyſes quia ex aquis ſublatus adoptari potuit à Principe fœmina, reliquis Hebræis felicior, etiam quod viuere licuerit. Vbi adoleuit & liberum ſe videt, liberandis fratribus operam ſuam impendit. Ægyptium Hebræo inſultantem enecat & ſabulo condit vt futuræ libertatis ſpeciem præbeat. Rem geſtam audiuit Pharao, at vlciſci non potuit. Fugit Moyſes in terràm Madian & ibi acceptâ vxore Sephorâ ſecuriùs agit in regione extera quàm in ipſo natali ſolo. Duos ex Sephora filios Genſan & Eliezer ſuſcipit. Interim Rex Pharao moritur, quo mortuo nullus Moyſi timendus reſtat inimicus, ſed tamen nouo labore opprimuntur Hebræi.

De miſſione Moyſis & Aaronis ad Pharaonem.

CLamant, eiulant, lamentantur ad Deum, donec miſertus Deus Moyſem precibus, lachrymiſque populi conceſſerit. Talem ac tantum vindicem libertatis tam miſera ſeruitus expectabat. Mittitur ergo Moyſes in Ægyptum, & mittentem Deum agnoſcit ex rubo ardente quem flamma non combureret. Tanto prodigio & Numen ſuum teſtatus eſt Deus, & ſe à Deo miſſum probauit Moyſes. Prætereà ne dubitent Hebræi virgam Dei præfert, quæ proiecta in terram fit ſerpens, quæ rurſus tractata manibus in virgæ formam redit. Denique manum applicat ad ſinum & leprâ inficitur, extracta foras fit caro ſincera: haurit aquam de flumine & ſanguis fluit pro aqua. Sic ad pleniorem fidem multiplicantur prodigia vt ſaltêm ex operibus Dei, Hebræi Deum intelligant. Adit igitur Moyſes Regem Ægipti, pro dimittendo populo rogat. Datur Aaron frater ſocius, vt quod iſte tentaret eloquio, ille tandem extorqueret prodigiis & cum neuter ſolus auderet, vterque ſocietate vinceret. Itaque coniuncti adeunt Regem & cuius inflexum animum nouem prodigiis flectere nequeunt, tandem decimâ plagâ euincunt

De

De decem Plagis ſeu flagellis Ægypti.

PRimùm nec verſa in colubrum virga, nec mutatæ in ſanguinem aquæ nec educta ex aquis ranarum cohors expugnare Pharaonem poſſunt, quia colubros ex virgis & ſanguinem ex aquis ſicut Moyſes, expreſſerant Magi, & imitati ranas Moyſis, nihil in his prodigiis diuinum eſſe perſuaſerant, tametſi virgas Magorum Moyſis virga deuorauerat. Tantùm abfuit vt dimiſſus à Rege abiret populus, quin duriùs exceptus ad conficiendos lateres etiam paleas colligere iuſſus eſt. Sed auctum ſeruitutis laborem poteſtas Dei maior repreſſit, maioribus editis coram Rege prodigiis, quæ numquam imitari penes Magos fuit, inde vox maleficorum: *Digitus Dei eſt hic*, vbi ortæ ſunt ciniphes hoc eſt tenuiſſimæ muſcæ, tum deinde genus omne muſcarum immiſſum eſt, poſteà quodcumque in agris paſcebat animal peſte interiit, ex cinere ſparſo in aëra conflata vlcera & veſicæ turgentes, addita grando cum tonitruis, prodiit & ingens locuſta, quæ quidquid reliquum intactumque grandini fuerat, abſumeret. Et ne nunc quidem flagellis attritus Pharao Deo flagellanti ceſſit. Tam cæcus, tam ſaxeus pectore tandem ad decimam plagam reſipuit per ipſas denſiſſimas tenebras, quibus tota Ægy-

ptus inhorruit, vidit Rex obediendum eſſe iubenti Deo. Occiſis demùm cunctis Ægyptiorum vbique domorum primogenitis, ne relicto quidem Regalis ſolii hærede.

De egreſſione populi ex Ægypto.

DImiſſus ergo tandem annuente Rege, imò cunctis Ægyptiis abire compellentibus nec modò ſeruitutis iugum excuſſit Hebræus, ſed inſuper totam Ægyptum more militum ſpoliauit. Abducta foras vaſa aurea & argentea, ereptæ cum gazis veſtes pretioſiſſimæ. Quid etiam vltrò non darent Ægyptii vt viuere liceat per Hebræos? Hoc libertatis ingens beneficium nullâ voluit Deus obliuione deleri. Agno iuſſit quot annis ſibi litari & azimos panes ſeptem dies comedi, vt memoriâ retineretur tam ſubitus populi exitus, vt nulli fermentatum panem auferre licuerit, ſed farinam tantùm conſperſam. Eſt in diuinis feſtinandi quædam voluptas, aliquando neceſſitas. Sic tandem fœliciter mutata omnia vt liber iam populus ex ſeruo factus, ex paruo plurimus, ex egeno diues, item in locum Tyranni Deus quaſi Rex ſucceſſerit, ita tamen vt Imperium in vindices libertatis tranſlatum Moyſen faceret Reipublicæ Hebreæ Præſidem, & Aaronem diuinorum Antiſtitem. Primus ſacra & cæremonias omnemque Dei cultum docuit; Legem

Dei in duas tabulas deſcripſit, Pontifices, Leuitas, veſtes quoque & inſignia, vt vel ipſo habitu ſacerdotes à reliquo populo diſtingueret: altaria quoque, Tabernaculum fœderis, Arcam præſertim, velut æternum diuini Numinis pignus, ſabbatum denique, dies feſtos, profeſtoſque, varia ſacrificia, rituſque omnes diuinos conſtituit. Idem Moyſes velut artifex belli, diſciplinæ militaris, artiſque bellicæ documenta dedit populo. Inde Tribuni, Centuriones, Quinquagenarii, Decani ex Iethro ſoceri ſui conſilio. Sic præliis exercuit iuuentutem, ne torperet otio, ſic ſacris, & cæremoniis addixit populum, vt hic gentes alias Religione, ſicut ſorte præcelleret. Hæc autem omnia monitu & Imperio Dei, vt citiùs acciperet ferox populus & ſanctiùs obſeruaret. Multa per Moyſem, multa per Aaronem fratrem, omnia ferè per vtrumque, ne vel imperio conſilium deficeret, vel poteſtatem ſolitudo corrumperet.

Bellum Ægyptium cum Rege Pharaone.

CAPVT X.

EGreſſis ex Ægypto Hebræis qui, interdiu in columna nubis, noctu in columna ignis cerni poterat, & præuius *Ex cap. 14. & 15. Exod.*

ibat, inſurgit à tergo Pharao, quaſi pœniteret emiſſi populi, & crederet vinci poſſe, quem curſu attingeret fugientem. Itaque currus & equites præſertim ſexcentos, imò totam Ægyptum armat in transfugas & reducere manu parat, quos Deus in ſui Numinis aſylum receperat. In arcta deſerti veniſſe cogitat, vt veluti aues cauea & aucupio teneantur. Iamque propinquans Pharao, curribus, armis, milite inſtat in Hebræos, hunc tamen feliciter nec cruento certamine transfugiunt, vincuntque, pro ipſis toto mari pugnante. Quippe tunc illud rubri maris prodigium atque miraculum, quando in duos quaſi muros diſciſſum, ſiccum Hebræis præbuit veſtigium, & intrantibus Ægyptiis horrendum inſtruxit ſepulchrum. Nam hinc & inde reuolutæ in ſemet aquæ fluctibus hoſtes opertos ne vnum quidem regredi paſſæ ſunt. Sic in ima currus & equites abierunt & vltra pergens Iſraël eiecta ad littus hoſtium cadauera triumphans aſpexit. Inde lætitiæ cantica, inde ouatio in caſtris, inde opima de Rege ſpolia, inde carmen hoc Moyſis *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Ipſa Maria ſoror Aaron tympanum quatiens, chorosque ducens adornat triumphum, ne quis ſexus à Dei laude vacaret. Tandem victorem populum abire, valere & liberum eſſe permiſit Ægyptus, dum finitima quæque Regio tremeret & remotus or-

bis tanto imbueretur miraculo, vt intelligerent omnes inuictos eſſe pro quibus Deus ipſe pugnaret.

Bellum contra Amalecitas primum.

CAPVT XI.

PEragrato toto fere deſerto Sin, caſtrametatur in Raphidim exercitus Iſraël, quod vbi audit Rex Amalech & finibus ſuis incubare hoſtem, irruit in ipſum collatis ſignis & occupare venientem properat, ne vbi propiùs acceſſerit, difficiliùs deinde ejiciat. Tota huius belli moles in fortiſſimum Ioſue, ſeu Ieſum Naue tranſmittitur, qui dubium eſt an plus armis & armato milite Amalecitas repreſſerit, an Moyſis contentiſſimâ oratione. Hic cum fratre vertice collis conſcenſo & ſurſum erectis manibus orabat & ô rarum! tamdiu vincebat Iſraël, quamdiu Moyſes manus ſuſtinebat erectas: vincebatur autem, ſi tantillùm remitteret, vt intelligeret miles rem bellicam pietate feliciùs geri, quàm gladio, & victoriam de cœlo miſſam ad caſtra deſcendere; vel certè illic vbi nomen Domini dimicabat, crucis quoque habitus erat neceſſarius. Igitur ne fatiſcerent manus Moyſi tam beneficæ, ipſas Hur & Aaron ſuſtentabant aſſiduè, vt perpetuò vinceret populus. Sic non ante ſol occidit,

Tertul. adverſ. Iudæos cap. 11.

quàm fuſus cæſuſque exercitus Amalec. In monumentum tantæ victoriæ ædificatum eſt Deo altare, vt author cognoſceretur triumphi, ex tali trophæo, ſpeſque data ſemper vincendi, quos Deus ſemel expugnauerat.

Expeditio in terram Chanaam Promiſſam à Deo.

CAPVT XII.

RVdis hic & paſtoritius populus nouus ad bella, caulas tantùm & gregum cuſtodiam norat. Itaque non tam bello comparare ſibi terram promiſſam à Deo, quàm explorare illam longè latèque & tentare vires ſuas num poſſet inuadere. Miſſi ex omni tribu fortiſſimi viri in ſingula regna tractuſque Chananæorum, formam quandam expeditionis fecerant, niſi territi receſſiſſent. Sed reuera fuit hæc exploratio non militum ſed paſtorum; quippe in prædam aductus palmes cum ſua vua, tantus ſcilicet vt duo viri vecte ſuſpenſum portarent. Exportatæ quoque ficus, malogranata, ô ampla certè ſpolia & militari virtute digna! Quantum hoc dedecus, viros fortes vel ipſo conſpectu Gigantum qui terram illam incolebant, fugatos rediiſſe ad ſuos, & reliquo populo metum incuſſiſſe, quaſi citiùs cum monſtris, quàm cum homini-

bus dimicandum foret? *Terra quam luſtrauimus* (inquiunt) *deuorat habitatores ſuos*. Nec allicit ſatis, quòd melle & lacte fluat, id eſt apibus & paſcuis abundet, & cæteris rebus ad delicias.

Bellum contra Chananæos primum

CAPVT XIII.

NOndum par hoſtibus ſuis Hebræus miles vinci facilè poterat vt ignarus præliandi, præſertim ſi in hoſtes militiæ peritiſſimos incideret. Talis aduerſus inſurgit Rex Arad Chananæus. Tum quidem fœda clades & ingens præda victum Hebræum ad vota velut puerum ad lachrymas conuertit. Votum pro victoria fuit, delendæ vrbes Chananęorum, & hac lege exaudita vota populi à Deo: confeſtim in primo belli exordio cæſus Chananæus, ad ſubuertendas illius vrbes magnam fecit audaciam, vtque locus ipſe vbi de Rege triumphatum eſt tantæ rei famam ſeruaret, dictus eſt Horma, id eſt Anathema, fortè quia ſuſpenſa ibi & fixa ſpolia in cultum Dei & monumentum victoriæ. *Ex cap. 21 Num.*

Digitized by Google

Bellum contra Amorrhæos.

CAPVT XIV.

Ex eodem cap. 21.

EX tam felicibus initiis progreſſus eſt ad meliora populus & deuicto Rege Chananæorum Regibus deinceps vincendis parem ſe fecit. Hinc Sehon Regem Amorrhæorum, illinc Og Regem Baſan tam facilè expugnauerunt, quàm pueros vir vnus proſternit. Repulſi turpiter nuntii à Rege Sehon, qui pacem petitum venerant, & facilem tranſitum per fines regni & inſuper illatum illis bellum cum numeroſo excercitu, honeſta fuit occaſio vlciſcendæ iniuriæ. Quippe gladio percuſſus interiit Sehon, totumque illius regnum facilè venit in ditionem victoris populi: & qui nec tranſire iuxta fines ſuos permiſerat, totum imperium tradere coactus eſt: ac deinceps caput Regni Heſebon Hebræos veluti Reges nouos accepit. Non ſtetit hîc pugnandi felicitas, ſed more ignis qui populatus incendio ſiluas, in obuia quæque ſe extendit, ſic de Rege quoque Baſan rapido curſu triumphatum eſt. Hic enim ſicut Sehon inuadendo peccauerat, ita ſimili clade cum populo ſuo ac filiis ac demum cum Regno diſperiit. Nec terruit Gigantis moles & corpus pluſquam humanum, tanti robur corporis æquauit virtus Hebræi populi coniuncta cum Deo.

Bellum

Bellum Moabiticum.

CAPVT XV.

POſt expugnatos Reges, poſt Gigantes proſtratos, quis Regum non exhorreat, quis tranſeunti Hebræo ſeſe opponat exercitus licèt ex Gigantibus totus? Intellexit Rex Moab Amorrheorum cladem, timuit ſibi & ſuis; ne ſicut bos herbas ad radices carpere ſolet, ita regnum ſuum populus Dei gladio detunderet. Nouam bellandi artem inuenit qui aperto prælio non audebat, vt ne omnino abſtinere videretur à bello. Audiuit & fama erat populum hunc magis verbis & oratione quàm armis vincere: igitur verbis verba opponens malè imprecari ipſi iuſſit per Balaam, qui tunc erat ſummus augurio. Vocatus ſemel & iterum & ſollicitatus muneribus, quia primâ vice non venerat prohibente Deo; Deinde eiuſdem placito venit ad Regem Balac. Illum iter ingreſſum ſubitò remoratur Angelus, &, ô rem inauditam! cui inſidet aſina videt Angelum prohibentem pergere intentâ acie gladii, non videt ipſe Balaam: itaque fuſte terga aſinæ tundenti queſta eſt illa, rarum! humanis vocibus, vt ex tam inſolenti eloquio intelligeret hic Propheta, quantus Hebræorum Deus, qui etiam mutas pecudes vocales pro arbitrio fa-

cit, & erubeſceret minus hominem obedire Deo quàm brutum animal. Datâ venia pergit impius vates, & ter conatus maledicere populo, ter quoque ne malediceret repreſſus à Deo eſt, & pro verbis imprecantibus coactus eſt proloqui apprecationes ſuauiſſimas. Atque inter alia de venturo Chriſto vaticinans, ait, *Orietur ſtella ex Iacob.* Quàm iniquè tulerit Rex Balac prænuntiantem proſpera de Hebræis in quos maledicta expectauerat, teſtatur dimiſſio vatis nullo honore, nullo pretio diuinationis impenſo. Sed quid contra Deum auderet Balaam, memor locutæ citra exemplum aſinæ? *Non aliud poſſum loqui* (inquiebat ſæpe ad Regem) *niſi quod iuſſerit* Dominus. Sed qui vaticinio nocere non potuit, conſilio ſaltem malefico obeſſe ſtuduit. Regreſſus domum, ſuaſit Regi vt Moabitides fœminas tam genere quàm forma inſignes Hebræis permitteret in ſcorta: factumque eſt quod malus cogitauerat: ſcortationem populi ſecuta eſt idololatria in Phogor, vt in pœnam vel deſertus à Deo primo prælio periret, vel percuſſus decreſceret numero. Et quidem in viginti quatuor millia animaduerſum eſt imperante Deo, cuius tandem prorſus ira deferbuit, vbi Phinees nobilem ex Hebræis, & principem fœminam Madianitem, fornicantes pugione perfodit ambos ſimul, & per eadem membra pœnam exegit per quæ turpiter peccatum fuerat. Igitur his inſidiis

potius quàm bello adortus eſt Hebræos Rex Moab, & omnia ſic ad peccatum compoſuit, vt crederent poſteri vix illum victorem fore exercitum, quem vinceret peccandi libido.

Bellum Madianiticum cum Moabitis.

CAPVT XVI.

SIcut ante cum Madianitis coniunxerant vires ſuas populi campeſtrium Moab, ita nunc viciſſim cum iſtis quaſi rependerent gratiam, fœderantur Madianitæ; vicinia locorum, commune in Hebræos odium, viſa ſunt iuſtiſſima coniurationis occaſio. Verum ſicut fruſtra inſidiatus eſt Moab, ita nunc infeliciter pugnat cum Madian, nec ex vtraque gente conflatus exercitus aliud efficit quam maiorem hoſtium cladem & clariorem populi Dei victoriam. Miſſi ad pugnam milleni ex quaque tribu, hoc eſt pugnatorum duodecim omnino millia, pauci in multos, vt iuſtiſſimè Deo, qui pugnam mandauerat victoriæ decus attribuatur. Dux tanti belli Phinees Eleazari Sacerdotis filius eligitur & meritò, iam hic diuinæ vltor iniuriæ priuatâ cæde Zambri & Coſbi (hæc fornicantium nomina quos transfoderat) ad publicam ſe promouerat. Tam ſubito tam feliciter pugnatum eſt aduerſus Ma-

dianitas, vt quinque illius Religionis Principes non tam victi prælio quàm rapti morte viderentur : non tam acie gladij cadebant proſtrati hoſtes quàm fulgore laminæ aureæ quæ fulgebat vel potius vincebat in caſtris Iſrael. Cæſi omnes mares, reſeruatæ cum paruulis fæminæ, rapta in prædam pecora, iumenta, vaſa, cuncta demum ſupellex. Cætera cum vrbibus, viculis, caſtellis corrupta igni. Et hoc incendio effectum eſt vt deſtinata Dei ſanctorumque domiciliis Regio, non tam deleta flammis quam luſtrata videri poſſet. Victor de prælio reuerſus exercitus tot ſpoliis ouans, tantâ prædâ onuſtus quæ ſufficere poſſet auaro militi, quanto gaudio, quanto populi applauſu exceptus fuiſſet, niſi propter muliebre genus reſeruatum, iratus Moyſes lætitiam triumphi turbaſſet! Sæuitum igitur & in fœminas, & ſolis virginibus parcitum ad coniugia. Agere gratias Deo non poterat ſatis victor populus niſi etiam redderet. Itaque cenſa & attributa Deo quinquageſima totius prædæ imperio Moyſis. Addita ex voto multa auri argentique pondo, armillæ, periſcelides, annuli, murenulæ, vt tantæ victoriæ diuturno monumento diu perſtaret memoria.

Digitized by Google

De ſeditionibus ſeu murmurationibus populi.

CAPVT XVII.

INter hæc bella ſeu potiùs bellorum mira cula ſuſtulit animos gens Hebræa, & virtute bellicâ clarior cœpit quaſi adoleſcere. Ideo hanc illius adoleſcentiam iure appelles, quæ ſcilicet ætas effrenatior & incondita moribus nec lege ſcripta coërceri potuit, nec emendari ſuppliciis, nec cultui diuino tot cæremoniis obligari. Inde eſt quod decies obmurmurando nunc in duces, nunc in ipſum Deum impudentiùs egerit, quòd Nadab & Abiud filij Aaronis igni alieno thuribula ſua inflammauerint, præter religionem & morem, quod Duce Aarone vitulum ex inauribus aureis fuſum conflauerit, & huic veluti Deo qui ſe de Ægypto eduxerat, arâ, thure, prece ſacrificiis ad veri Dei contemptum litauerit, quod populi principes viros, cum vel ſcelerum arguerent, vel prauæ voluntati obſiſterent, vi oppreſſerit, vel occidere parauerit, vt inter alios nobiliſſimum Hur, plebem à cultu conflatilis vituli prohibentem, vt Aaronem & Moyſem, vt Ioſue & Caleb, quos tantùm non lapidauit plebs furens quia terram à Deo pro-

Ex c. 10. *Leuit.* *Ex c.* 31. *Exod.* *Ex c.* 13. *Num.*

Digitized by Google

miſſam, cui detraxerant exploratores, illi contra commendaſſent. Sed has iniurias, hæc tanta crimina non inulta eſſe voluit Deus, ne ſæuiendi in ſuos magis audacia creſceret. Igitur filios Aaron profano igne thurificantes diuinus ignis vltor abſumpſit: populum vitulo aureo malè deuotum, ipſius vituli concrematio, & ex cineribus èpota aqua & hominum ad viginti tria millia perfecta clades Leuitarum manu, pro tanto ſcelere expiauit. Denique maledicum quemque percuſſit Deus lethifero vulnere, & quotquot fidem dedere exploratoribus, ab ingreſſu promiſſæ terræ inhibuit. His pœnis inſequente Deo tot reos criminum, intellexit populus & pœnam eſſe delicti proximam & cauſam obmurmurandi nullam iis ſubeſſe qui tantis erant obſtricti beneficiis. Cauſæ tamen non defuere peccantibus quibus culpam prætexerent.

De prima diſcordia Hebræorum.

CAPUT XVIII.

Ex c. 15. Exod. PRima quidem ob inopiam potus & cibi. Namque per ſolitudinem deſerti Sur triduo perambulantes non inuenta aqua niſi amariſſima, quæ de Marath (ſic ab amaritudine dicto loco) largè fluebat, cum citiùs ſitim pati quàm ta-

lem aquam ſorbere mallent, non medio-
criter linguis exarſere in Moyſen, iden-
tidem muſſitantes. Quid bibemus? Hic
exorato Deo & oſtenſo ligno, demiſſo-
que in aquas, ipſarum amaritiem in dul-
cedinem tranſmutauit. Tum deindè de-
ficiente Ægypti pœnu, ſeu inde compor-
tatis alimentis fame prope enectus popu- *Ex c. 16. Exod.*
lus in ſeditionem verſus deſiderare cœpit
ollas Ægypti & panem ſeruitij Verùm
coturnicum turba demiſſa à Deo ad veſpe-
ram & mane collectum manna ad ſingulos
dies, pœnitere fecit murmurationis in
Deum, & plebeculæ famem ſedauit. Cæ-
terùm ſicut miraculi plenus datus eſt ci-
bus ita ſumma populi admiratione acce-
ptus & ab admiratione nomen ſortitus.
Quippe vbi granula quædam candida in-
ſtar frumenti pilo tuſi, vel ſeminis co-
riandri, vel potius pruinæ ſeu roris con-
gelati viſa ſunt oculis & guſtu probata,
ita vt ſapor dulciſſimus dulcedinem mel-
lis æquaret, vel ſaltem par eſſet ſimilæ
melle litæ, continuò exclamat populus
Manhu, quid eſt hoc? Vnde man ſeu
manna nomen relictum eſt, donec à Moſe
pronunciatum eſt hunc eſſe panem cœli-
tus miſſum, non minùs ſanctum quàm
ſtupendum. pag. 60.

De ſecunda diſcordia.

CAPVT XIX.

Ex c. 17. Exod.

ITerùm ac ſecundò auditum eſt murmur populi ob nouam aquarum penuriam in Raphidim, id eſt, in loco arente ac deſerta ſiti Regione. Tanto hoc murmure ferentium & quaſi ad necem quærentium incitatus Moſes, quid ageret, conſulto Deo, virga quâ nili fluenta percuſſerat, percuſſit & petram ad montem Oreb, & mox ô Miraculorum ſeriem! percuſſa petra velut intra ſe clauſi fluminis venas effudit. Potus eſt abundè populus & locus à iurgio nomen accepit, vt non minùs Hebreæ perfidiæ quàm liberalitatis diuinæ veſtigia extarent.

De tertia populi diſcordia.

CAPVT XX.

Ex c. 11. Num.

TErtiam ſeditionis facem accendit triduani itineris tædium. Egreſſus namque miles Hebræus, anno ſecundo poſt exitum de Ægypto, & progreſſus à monte Sinai, præeunte Arcâ fœderis, labore fractus obmurmurauit Deo. At murmur iſtud aboleuit ignis immiſſus ab irato

Deo, & extremâ parte caſtrorum conſumptâ, & forte prima acies cum media conflagraſſet niſi lachrymoſa Moyſis oratio procurrentem ignem extinxiſſet, locus tamen hic dictus eſt incendum Dei.

De quarta diſcordia.

CAPVT XXI.

QVartæ ſeditioni locum fecit cupido carnium. Iam ante conceſſum manna, quia cibus aſſiduus & vnus erat, nauſeam creauerat, tum vulgo Ægypti quod promiſcuum venerat, tum Iſraëlitis vtique improbis (boni ſi quidem in vnico manna omnigenum cibum etiam delicatiſſimas carnes ſapiebant) malos pertæſum erat tamdiu idem manna manè colligere, mediumque ipſum ſecernere & à ſubiecta pruina & à rore ſuperpoſito, tum deinde in mola frangere vel in mortario terere & panem oleatum ex ipſo conficere; demum ſapidè reguſtabunt pepones, allia, porros Ægypti. O qualis ſtomachus, cui panis Angelorum, id eſt arte Angelicâ confectus in aëre nauſeauerat! Flebat indignans plebecula. *Quis dabit* (inquiens) *nobis carnes ad veſcendum?* Audiit Deus, & plus largiendo beneficium puniens quàm negando, vento ferente diuiſit per caſtra coturnicum turbam, vt quiſque & facilè caperet (vola- *Ibid.*

bant enim ad duos è terra cubitos) & paſceretur per menſem opiparè; ſed tandem bene paſtos & quaſi ad ruinam ſaginatos percuſſit vltor Deus, & velut ex faucibus malè concupitum abſtraxit cibum. Locus certè dictus eſt ſepulchrum concupiſcentiæ.

De quinta diſcordia.

CAPVT XXII.

Ex c. 16. Num. QVinta pro honore & ſacerdotio diſcordia fuit. Chore, Datan & Abiron Principes Leuitarum, factâ coniuratione in Sacerdotes eligi petunt. Sed qui æmulati familiam Aaron Sacerdotio deſtinatam, cœlos ambitione tranſcenderant, non potuit terra ſuſtinere: ſed repente dirupta viros abſorpſit, & clauſit in inferis, quos ſatis duro carcere non potuiſſet tellus continere. Simul ducentos quinquaginta viros, qui iura incenſi invaſerant diuinus ignis peremit. Denique quatuordecim millia & ſeptingenti percuſſi de populo, qui tumultuantes in Moyſen & Aaron conſurrexerant, vt in Authores ſtupendæ necis Leuitarum; & niſi medius & tanquam ſequeſter inter mortuos ac viuentes accurriſſet Aaron, actum erat de gente Hebræorum.

Digitized by Google

De ſexta diſcordia.

CAPVT XXIII.

TAndem & ſexto in ſeditionem verſi filij Iſraël; tum quod in deſerto Sin deficientibus aquis, ſiti deficerent, quam Deus orante Moyſe & percutiente bis petram largiter rigauit. (hæc aqua contradictionis appellata, quod propter illam iurgatus ſit populus, & incredulus Moyſes promiſſæ terræ ingreſſu priuatus:) tum quia profecti de monte Hor, iterum manna faſtidiunt, & de via paulo longiore obmurmurant, ſed linguas maledicas, ſerpentes igniti adurunt & digno plectunt ſupplicio. Miſertus cladem populi Moyſes iuſſu Dei ſerpentem æneum ſuſpendit in cruce, vt quicumque percuſſus in hoc ſignum reſpiceret, ſanaretur. Sic idem ferè & plagam fecit & medicinam. Non ſatis demum probata fuiſſet clementia Moyſis, niſi aduerſantes ſibi etiam fratrem, ſororemque habuiſſet. Sed caſtigatus verbis Dei Aaron, & Maria leprâ perfuſa & à caſtris ſeptem dies ejecta; vterque ſuo damno intellexit, quanti eſſet apud Deum Moyſes, cuius ipſe vlciſceretur iniurias.

Exo. 21. Num.

De ordinatione Reipublicæ Hebreæ.

CAPVT XXIV.

VErùm in his ipſis ſeditionibus mirum eſt quantum populus creuerit dignitate, vt viderentur neceſſaria quoque fuiſſe illius ſcelera, quò melior Deoque carior fieret: nam nunc manna, nunc legem, & iudicia Dei, nunc ritum omnem ſacrorum, nunc denique terram fatalem accepit à Deo.

De *Manna dato in cibum.*

ESurire primùm permiſſus eſt, & ob eſuriem indignari, vt per annos quadraginta dignus foret cœlico pane expleri. Sed quot in vno cibo miracula! ſingulis menſuram Gomor implentibus nec qui plus collegerat, abundabat: nec qui minùs, egebat. Cibus hic inſuper vnius dieculæ, vt qui in craſtinum auarus ſeruaret (niſi in diem Sabbati) vermes pro manna & putrida grana inueniret. Sæpe qui matutinus non collegerat, ſole meridiano liquatum deprehendit, vt deſidiæ imputaret annonæ inopiam. Qui demum ex iuſſu Dei die ſextâ non duplicauerat hunc cibum, is poſterâ luce vacuum & ſterilem agrum ſæpius inuenit, vt vel coactus à labore ceſſaret ſabbati die.

pag. 55.

De lege ſcripta à Deo.

NEc minora in data lege prodigia. *Ex c. 20. Exod.*
Hanc Moyſes non priùs accepit à Deo, quàm ſummum verticem Sinaï cum fratre conſcenderet, quàm fumaret mons totus, coruſcaſſent fulgura, rugiſſent tonitrua, quàm præparatus populus lotis veſtibus, ſegregatis vxoribus, & demùm appoſitis terminis, ne plebs incauta montem ſubiret. Hoc terribili apparatu data lex à Deo, vt vel ſic diuinam eſſe conſtaret. Inſculpta quoque digito Dei in tabulis ſaxeis, quarum vna cultum Dei, altera officia in proximum exprimeret. Addita demùm pacis, annonæ, victoriæ de hoſtibus promiſſa magnifica ad maiorem legis obſeruantiam. Accepit populus ſcriptam ſibi legem, tum Decalogum, tum formas iudiciorum, tum ſacrorum cæremonias rituſque ſeruandos, vt hac Dei republicâ nihil toto orbe ordinatius videretur.

De Arca Dei & Tabernaculo fœderis.

SEd quantum huius populi dedecus, *Ex c. 25. Exod.*
cuius ob profanum cultum in vitulum conflatilem, vtramque tabulam ex lapide perfregit Moyſes, & quem ante in ſignum fœderis ſanguine victimarum reſperſerat, eiuſdem ſanguinem iuſſus eſt fundere in tanti ſceleris triſte piaculum. Hanc Deus

Digitized by Google

idololatriæ peſtem auertit quâ facilè inficiendus erat Hebræus dato ipſi tabernaculo arcâ, & propitiatorio, & hæc tanti mali aptiſſima fuit medicina, vt deinceps in opere artis verum Deum agnoſceret, & quaſi oculis vſurparet, qui in vitulo ex arte facto falſum perfidè adorauerat. Arcam primum compingi iubet, in qua virga Moyſis, Decalogi tabulæ & manna intra vas aureum repoſita erant; deinde Propitiatorium, id eſt, operculum Arcæ duo Cherubin hinc & inde obuerſis vultibus ſuſtentant. Menſa quoque inſtruitur quæ duodecim panes contineat ſingulis mutandos diebus ſabbati. Poſtremò Tabernaculum cum quadruplici oppanſo velo erigitur. Candelabrum cum ſeptem lucernis, altare Thymiamatis, Thuribula, Cyathi, Phyalæ, Mortariola, Fuſcinulæ, & alia id genus vaſa inferuntur in Sancta Sanctorum, vt diuino cultui nec ipſa pompa deſit. Cæterùm hæc omnia vel ex auro tota, vel ex lignis Sethim, id eſt immortalibus, vt ſic intelligeretur optimum in rebus & æternum Numen adorari à populis.

De veſtibus Sacerdotum.

Exc. 28. Exod. QVo fato factum dicam Dathan & Abiron pro affectato ſacerdotio tumultuatos in caſtris? nonne vt appareret diuino iudicio vni Aaronis familiæ deſtinatum honorem ſacerdotii? Quippè huius virga collata cum cæteris ex

omni Tribu, ſola ipſa viruit & turgentibus gemmis flores truſit, & amygdalas pro fructibus protulit. Hoc prodigio dictus ac iudicatus Sacerdos Dei cum poſteris ſuis Aaron, & virga florida in Tabernaculo vti res ſacra recondita eſt, ne quis ampliùs tanti culmen officii impiè & fruſtrà ambiret. Sacerdotibus quoque ſuas Deus attribuit veſtes, hoc eſt feminalia ad protegendum pudorem, tunicam prætereà ſeu veſtem ex byſſo, ſuccinctam baltheo ad greſſum expediendum, Tiaram denique ſeu Mitram ad caput ornandum. Proprias item ſummi Sacerdotis veſtes diſtinxit Deus, nempe Poderem ſeu tunicam talarem, cuius extremam oram mixta tintinnabulis malogranata contexerent: deindè Super humerale ſeu Ephod, vt loquuntur Vrim, et
Hebræi, tertiò Rationale, in quo duo- Thummim.
decim lapilli, & in ipſis duodecim Tribuum inciſa nomina, inſuper Baltheus ſeu cingulum reliquas veſtes adſtringens. Poſtremò Mitra cum lamina ex auro lunata. Atque hæc veſtium decora non materies modò, ſed & artificum manus commendabant, vt diceres naturam conſpiraſſe cum arte, & vtramque ingenio diuino ſe ſe aptaſſe, vt opus inde pulchrum exiſteret & inimitabile.

Digitized by Google

De morte Moyſis & Iobi.

CAPVT XXV.

Exc. 34. Deuter.

HIs ita rite ordinatis poſt defunctos Aaronem & Mariam moritur tandem Moyſes, qui centum viginti annos vixerat integris & immotis dentibus. Tam felix ſenectus feliciori morte concluſa eſt. Iubente Deo moritur in monte Abarim ſuper verticem Phaſgæ, & inde terram promiſſam intueri non, ingredi conceditur, vt vel minimam fidei hæſitationem expiet tam graui pœna: Denique in oſculo Domini, quem dum viueret de vultu ipſo videre licuit & ore alloqui, occumbit Moyſes, tam charus hominibus, vt triginta ab illis per dies defletus fuerit; tam dilectus Angelis vt defuncti corpus dignati ſint tumulo condere, quem ipſi propriis manibus exſtruxerant. Mortuus quoque circa hæc tempora Iob rarum patientiæ exemplar, qui inter peſſimos bonus eſſe potuit, ſcelera ciuium ſuorum virtute exuperans. Hic primùm diues opibus, diues pecore, clarus Imperio, multâ etiam prole felicior, poſtquam annuente Deo in manus Dæmonis incidit, repentè inops factus, orbatus liberis, deiectus ſolio, priſtinam felicitatem cum ſterquilinii fæce mutauit. Parum erat deſtitui omnicēſu, niſi cētum plagis corpus afflictum iaceret.

Tamen

Tamen infra conſtantiam Iob tota hæc malorum congeries fuit. Vicit patientiâ flagellantem Dęmonem & tandem minùs Iob vapulando quàm Dæmon verberando defeſſus ſtetit. Ideo in tantæ virtutis præmium non reddita modò quæ Iob amiſerat, ſed duplicata inſuper, vt patientia rerum Domina haberetur, & poſteri crederent iacturam omnium, ſi ita viſum eſt Deo, facilem eſſe debere. His igitur aut præliis aut inſidiis hoſtium, domeſticâ vel externâ clade adoleſcentiam exegit Populus Dei, & in hac ſecunda Imperii ætate ad Iordanem vſque victoriâ ſequente peruenit.

Finis Libri primi.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

IAM quadraginta per annos à tranſitu maris Rubri deſerta Orientis loca peragrauerat Hebræus, & nuſquam tamen attritæ illius veſtes, aut vetuſtate conſumpta calceamenta, ſicque acceptâ lege frænatus adoleuerat, vt liber & pluſquam Rex deuictis Regibus ad vniuerſam regionem promiſſam à Deo manu capiendam ſat roboris habere cęperit. Mirum eſt, qui quadraginta annos errando more ferarum per auia & inacceſſa ad Iordanem tantùm peruenerat, id eſt ad limen quæſitæ terrę, breui poſt tempore totam quà latè patet Iudæam occupauerit, Deo, ſole, aquis, terrâ cum Hebræo militantibus.

Digitized by Google

Bellum Hierichuntinum.

CAPVT II.

QVis non crederet extincto Moyſe ceſſaſſe vel fortunam, vel virtutem Hebræorum? Res tamen ſecus accidit ſuffecto in locum Moyſis Ioſue, qui ſeu plenus ſeu armatus Deo, terrore potiùs quàm bello populi hoſtes profligauit. Et ne dubites defuiſſe cœleſte auxilium, ſtetiſſe pro illo ſydera, ſolem & lunam, fabula eſt, niſi narraret hiſtoria. Hoc ergo duce, vel potiùs Deo, tentata eſt primùm vrbs Hierico trans Iordanem. Vrbs Palmarum dicta hæc Ciuitas; vel quòd in ea plurimæ Palmæ, vel quòd inſtar Palmę cæteras inter Vrbes caput erexerat. Præmiſſi exploratores & clanculum ciuitatem ingreſſi, non latuere tamen incolas loci aut Regem ipſum. Huius imperio factus erat in exploratores impetus, niſi dum quærebantur ad necem, Rahab meretrix, quæ hoſpitio acceperat, ſtipulâ lini opertos in ſolario domus ſuæ ſubduxiſſet oculis ſatellitum. His per vada Iordanis circumcurſantibus, vt duos viros comprehenderent, interim de feneſtra appenſo fune coccineo dimittuntur incolumes. Sic bona mulier, alie-

nam ſeruando, propriæ ſaluti elaborat. Nam in tanti gratiam beneficii à futuro Vrbis excidio Rahab cum tota familia excipitur, ideo iunctæ dextræ, & iureiurando pacta fides. Accepit ab exploratoribus Ioſue venturam facilè in ſuas manus Vrbem, quam formido iam inuaſerat. Monuit inſuper Deus vt Religione potiùs quàm armis & non tam militum, quàm ſacerdotum vteretur officiis, quippe horum clangentibus buccinis, illorum ſuſpenſo arcu funditus ruitura erat vrbs Hierico. Itaque ex præcepto Dei portatur Arca à ſacerdotibus & vltra Iordanem ſicco veſtigio tranſmittitur, &, ô rem miraculi plenam! iuſſus eſt populus tranare flumen per arentem alueum, deficientibus aquis quando maximè abundauerant (ſi quidem tunc primo meſſis tempore Iordanis ripas ſuas vel exceſſerat vel impleuerat) vt Rubri maris tranſitum Iordanis tranſitus æquaret miraculo. In cumulum reuolutæ ſuperiores aquæ ne deſcenderent, defluentibus in mare mortuum inferioribus, vt ſic populo tam liceret calcare flumina, quàm iniqua montium ſuperare. Tanti huius prodigii ſicut olim laborare fides poterat, ita & aboleri memoria. Quare duodecim ex medio flumine duriſſimi extracti lapides per duodecim ex ſingulis tribubus viros, totidem ab Ioſue immiſſi in alueum, vt nec intra nec extra deeſſet monumentum ſiccati à Deo Iordanis.

Hoc prodigio conſternatis gentibus finitimis patuit facilè via ad expugnationem vrbis Hierico, vnde nullus egredi, nullus ingredi auderet, nec tam munimenta belli quàm timor Hebręi populi portas occluſerat. Ante obſidionem primæ huius trans Iordanem vrbis, renouata circumciſio, celebratum Paſcha, & manna deinceps abolitum & cum frugibus terræ mutatum, miſſus Angelus in ſpecie viri & quidem euaginato gladio, vt tam ibi Deum propitium ſperaret Ioſue, quàm haberet pręſentem. Et quidem promiſſum Dei auxilium, & loci ſanctitas declarata, cum ſoluere calceamenta de pedibus iuſſus eſt Ioſue. His quaſi pręambulis ſignis ſubſequente Arcam Victoriâ capta eſt ingens Ciuitas, nullo, ô prodigium! quaſſante muros ariete, nullo in hoſtes intento gladio aut directo arcu. Ad ſeptimum buccinarum clangorem (quippe ſeptem dies circumcrepuerant tubis ſacerdotes ex præcepto Dei.) Tandem vociferante exercitu corruunt muri Hierico dato in Vrbem aditu, quacumque ſe collocarant armatę acies. Quantâ cæde bacchatum ſit in capta Vrbe, vix credi poſſit. Nam cum Rege populus cecidit, cum viris fœminę, nec ipſi cum ſenibus excepti infantes: boues, aſini, oues, & cętera huiuſmodi animalia poſt occiſos homines, non permiſſa ſunt viuere. Vni Rahab ex fœdere, totique familiæ parcitum

eſt, cunctaque illius ſupellex erepta Vrbis incendio. Conſecrata demum Deo & loco anathematis repoſita aurum, argentumque, vaſa item ex ære vel ferro, vt ex his creſcente ærario Dei, victoris populi ad meliora Deo auſpice ſeſe virtus extenderet. Talibus Ioſue primitiis perpetuum victoriæ curſum ſibi promeruit.

Bellum aduerſus vrbem Hai.

CAPVT III.

Ex cap. 7. & 8. Ioſue.

VIcerat Hebræus in vrbe Hierico reliquas trans Iordanem Vrbes & Gentes accolas, niſi currentem victoriam repente tardaſſet Hai paruum quidem oppidum ac fere vicus ignobilis, hôc tamen non inglorius, quòd militem vincendi peritum in fugam auerterit. Nūmquam ſecurè negligitur hoſtis. Qui vrbem explorauerant, in tam paucos hoſtes per tria virorum millia rem expediri facilè poſſe iactauerant, ſed nec totus populus ſuſtinuiſſet paucorum impetum, pro quibus iam pugnabat Deus. Audit Ioſue triginta ſex ſuorum cædem & reliquæ multitudinis fugam, ſtupet primùm, deinde deplorat ſupplex ac pronus coram Arca Domini. Diſcit ab oraculo quamdiu furtum anathematis maneat inultum in plebe, tamdiu in peccati reos prequaliturum

hoſtem. Igitur ſacrilegii non ſegnis ſit inquiſitio, itur per tribus, familias, domos, donec ſorte deprehenſus eſt fur publicæ ſaluti infeſtus. Achan miles ex Tribu Iuda confeſſus culpam, raptum ſcilicet ex manubiis Hierico pallium coccineum, regulamque auream & ducentos argenti ſiclos, mox lapidatus in valle Achor cum tota familia perit, ſimul igni traditur ſupellex cuncta, præſertim tentorium, in quo furtum anathematis ſuppreſſum fuerat. Hinc aceruus lapidum, & hactenus vallis Achor dicta, eò quòd exclamaſſet Ioſue: *Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus.* Sic expiatis caſtris bene ominandum erat in poſterum. Prædicitur à Deo ſubuerſio vrbis Hai & præſcribitur forma pugnandi, vt vel ex hoc intelligas diuinum eſſe aliquid etiam in ipſis inſidiis. Nam dum Ioſue compoſito exercitu Vrbem inuadit, & Rege egreſſo in pugnam metum ſimulat & fugam, longiùs ſic hoſtem ab Vrbe diſtrahit, ita vt relicta à tergo in inſidiis quinque hominum millia vacuam Vrbem occupent & inflamment. Ioſue procul conſpecto incenſæ Vrbis fumo finitâ fugâ conuerſus in Regem cum totis copiis perſequitur, accurunt inſuper qui iam Vrbem ceperant. Sic, ô feliciter additum virtuti dolum! vtrinque cæditur hoſtis quaſi medius, hinc qui fugerant, inſequentibus, illinc qui ex inſidiis aſſurrexerant, adiuuantibus. Vnus ex tota multi-

tudine ſuperſtes Rex agitur in crucem & ſub aceruo lapidum deponitur cadauer, vt finitimæ gentes horrerent populum Dei qui non modò Reges bello vinceret, ſed etiam in patibulo quaſi vilia capita ſuſpenderet. Pro capta & incenſa Vrbe agit Dux Ioſue gratias Deo, ædificato altari & cæſis victimis; nec enim potitus prædâ miles ex iuſſu Dei, partem prædæ ad ſacrificia negare poterat, niſi ingratus.

Bellum Gabaonicum.

CAPVT IV.

Exc. 9. ET iam tantus erat populus Dei, vt parcere poſſet ſubiectis & ſibi à victoria temperare. Hoc experti Gabaonitæ, licèt per fraudem, periculum imminens à ceruicibus ſuis depulerunt. Iſtos, auditis quæ fortiter geſſerat Hebræus, tantus pauor inuadit, vt redimere vitam ſeruitute malint, & fraude tandem extorquent, quod vix iure impetraſſent. Simulant ſe longiùs veniſſe, qui prope aderant & ſic omnia ſuis aptant mendaciis, vt poſt oſtenſos veteres ſaccos, vtres ſciſſos & ſolutos, detritas veſtes & calceamenta pictaciis conſuta, panes demum duriſſimos de prolixo itinere nihil dubitauerint Hebræi. His indiciis extraneos profeſſi pacem poſtulant & fœdus percutiunt.

In

In teſtem iurati fœderis comedit populus Gabaonitarum cibaria. Sed viæ poſt triduum audiit Ioſue conterminos eſſe qui peregrini crediti fuerant, & quidem de illorum numero, quorum capita Deus proſcripſerat. Quid faciat Ioſue? periurus occidat mendaces, an reſeruet deuotos morti homines? Placuit, ne murmuret vulgus, vitam dare pactam iuramento, ne Diuini præcepti Religionem periurio violent, & peius ſit occidiſſe, quibus datum erat viuere, quàm reſeruaſſe qui debuerant mori. Itaque permiſſi ſunt viuere, ſed ita vt deinceps non viuerent ſui, & poſteri ſeruirent Hebræis tum ad ligna cædenda, tum ad aquas comportandas in Domum Dei. Sic mulctatum eſt ſeruitute mendacium, ſic ſervata Religio iuramenti, mutatâ in ignominiam pœnâ capitis. Et tandem Ciuitas Gabaon imminenti ruinæ vel per fraudem euaſit. Tanti viſum eſt Hebræos habere fœderatos, & non experiri victores. Sed quid profuiſſet non habere hoſtes, niſi etiam experta eſſet verè amicos. Nec defuit occaſio. Quinque Ex c.10 Amorrhæorum Reges, præſertim Adoniſedech Rex Hieruſalem coniurati Gabaonem obſident. Rogatus Ioſue non diſtulit auxilium vbi maximè neceſſarium vidit. Adeſt igitur repente nec opinantibus cum toto exercitu, & ita noctem ad occultum progreſſum accommodat, vt tam cito viciſſe hoſtes quàm veniſſe videretur, tam ſubito Amorrhæos con-

turbat aduentu, vt de cœlis non de Galgalis irruiſſe attoniti cogitarent. Hinc tantus terror, vt ſolum fugæ reſtaret præſidium, & perſequi fugientes non tam laboraret Hebræus quàm comprehenſos gladiis perimere. Tanto cladium numero nec manus ſufficiebant, nec dies iam inclinatus ad veſperam. Quis crederet in hoc rerum articulo cœlum ipſum ac ſydera quaſi commilitones pugnaſſe cum Ioſue? Cœlum primò lapidibus pluit, plures lapidati de cœlo quàm cæſi gladiis inuenti ſunt. Sol item & Luna reſtitere in medio curſu, & ille quaſi neſciret occaſum, tamdiu lucem protulit, donec in tenebras compulſi quinque Reges, certamini finem dedere. Nunquam productior dies illuxit orbi, nec clarior Hebræis victoria contigit. Huius nequando puderet victorem, eam trucidatis quinque Regibus conſummauit. Suo quiſque ſuſpenſus in ſtipite vitam finiit, vt omnes pœnâ pares forent, ſicut in Hebræos coniuratione concordes. Ad veſperam patibulis depoſiti ſunt & in ſpeluncam vbi latuerant proiecti, clauſique ibidem immanibus ſaxis, vt nulla eorum apud poſteros reliqua eſſet memoria. Liberatâ Gabaone & neci datis quinque Regibus, quodam quaſi æſtu & torrente victoriæ ſecutæ ſunt Ciuitates, tum vbi illi regnaverant, tum conterminæ aliæ. Vno quaſi impetu proſtratæ Maceda, Lebna; Lachis, Eglon, Hebro, Dabir, tota

Digitized by Google

demum tum campeſtris tum montana Regio percuſſa gladio, deleta igni, in ditionem populi venit. Nulla verò victis rebellandi ſpes relicta eſt, quia neminem viuere paſſus, omnem ætatem, ſexum, fortunam gladio confudit. Viſum eſt Deo & neceſſe fuit nouam hanc Coloniam non priùs his terris inſiſtere quàm veteres coloni ad vnum vſque perirent, ſicut ad locandam felicem arborem priùs è ſolo radicitus eruitur infœcunda.

Bellum cum Chananæis, Amorrhæis, Ethæis, Phereſæis, Iebuſæis, &c.

CAPVT V.

NEſcio quâ deſperatione concitatis animis, iterum bella, iterùm hoſtes, ne forte ſitu & otio flacceſceret victor exercitus, vel vt intelligeret non tam expectandam à Deo, quàm proprio labore quærendam victoriam. Credo, in vltionem prioris ignominiæ viginti quatuor Reges armantur, vt quinque Regum dedecus expient & abſtergant. Dux & quaſi fax, huius belli Iabin Rex Azor viginti tres alios cogit in pugnam ad aquas Meron. Hinc Iobab Regem Madon, illinc Regem Sameron, Regem Acſaph & aliquot ad aquilonem principantes. Chananæus inſu- *Ex c. 10 Ioſue.*

turbat aduentu, vt de cœlis non de Galgalis irruiſſe attoniti cogitarent. Hinc tantus terror, vt ſolum fugæ reſtaret præſidium, & perſequi fugientes non tam laboraret Hebræus quàm comprehenſos gladiis perimere. Tanto cladium numero nec manus ſufficiebant, nec dies iam inclinatus ad veſperam. Quis crederet in hoc rerum articulo cœlum ipſum ac ſydera quaſi commilitones pugnaſſe cum Ioſue? Cœlum primò lapidibus pluit, plures lapidati de cœlo quàm cæſi gladiis inuenti ſunt. Sol item & Luna reſtitere in medio curſu, & ille quaſi neſciret occaſum, tamdiu lucem protulit, donec in tenebras compulſi quinque Reges, certamini finem dedere. Nunquam productior dies illuxit orbi, nec clarior Hebræis victoria contigit. Huius nequando puderet victorem, eam trucidatis quinque Regibus conſummauit. Suo quiſque ſuſpenſus in ſtipite vitam finiit, vt omnes pœnâ pares forent, ſicut in Hebræos coniuratione concordes. Ad veſperam patibulis depoſiti ſunt & in ſpeluncam vbi latuerant proiecti, clauſique ibidem immanibus ſaxis, vt nulla eorum apud poſteros reliqua eſſet memoria. Liberatâ Gabaone & neci datis quinque Regibus, quodam quaſi æſtu & torrente victoriæ ſecutæ ſunt Ciuitates, tum vbi illi regnaverant, tum conterminæ aliæ. Vno quaſi impetu proſtratæ Maceda, Lebna; Lachis, Eglon, Hebro, Dabir, tota

Digitized by Google

demum tum campeſtris tum montana Regio percuſſa gladio, deleta igni, in ditionem populi venit. Nulla verò victis rebellandi ſpes relicta eſt, quia neminem viuere paſſus, omnem ætatem, ſexum, fortunam gladio confudit. Viſum eſt Deo & neceſſe fuit nouam hanc Coloniam non priùs his terris inſiſtere quàm veteres coloni ad vnum vſque perirent, ſicut ad locandam felicem arborem priùs è ſolo radicitus eruitur infœcunda.

Bellum cum Chananæis, Amorrhæis, Ethæis, Phereſæis, Iebuſæis, &c.

CAPVT V.

NEſcio quâ deſperatione concitatis animis, iterum bella, iterùm hoſtes, ne forte ſitu & otio flacceſceret victor exercitus, vel vt intelligeret non tam expectandam à Deo, quàm proprio labore quærendam victoriam. Credo, in vltionem prioris ignominiæ viginti quatuor Reges armantur, vt quinque Regum dedecus expient & abſtergant. Dux & quaſi fax, huius belli Iabin Rex Azor viginti tres alios cogit in pugnam ad aquas Meron. Hinc Iobab Regem Madon, illinc Regem Sameron, Regem Acſaph & aliquot ad aquilonem principantes. Chananæus inſu- *Ex c. 10 Ioſue.*

per, Amorrhæus, Ethæus, Phereſæus, Iebuſæus & Euæus ſuppetias ferunt. Igitur globus populorum, equorum, curruum tantus, vt vel ipſa multitudo ſe ſuperiorem fore promitteret. Sed ſicut numerum non timet lupus, ita nec Ioſue promiſcuam hoſtium turbam exhorret confirmatus à Deo, quin ſperat ipſam ſibi obſtare poſſe multitudinem & propriis viribus ruituram: ſicut videmus arbores ipsâ fructuum copiâ frangi & ad terram proſterni. Vix primo certamine tentati hoſtes, mox cæſi omnes vel fuſi fugatique. Nec diu fugientibus adeo profuit fuga, vt tandem non venerint in manus victoris, vi captis vrbibus, quò male tuti confugerant. Primus cum ſua Ciuitate Rex Azor diſperiit, vt ſic turbo iſte & ſeminarium belli ante ſocios occumberet. Sublato Rege Azor & flammis aboletâ Vrbe, cæteros Reges & Vrbes quibus eminebat, vinci non puduit. Tota deinceps Regna ſe tradunt cum populis, quando impune nullus obſiſteret. Omnes demum ferro & igni populatus Ioſue, ne vnum quidem relinquit ex hoſtibus, tum ut gentem inimicam Deo funditus exſcindat, tum ne quis à tergo inſtet vltra tendentibus. Quin etiam de ſtirpe Enacim id eſt de Gigantibus & de illorum Vrbibus victoriam adornare placitum eſt, vt quorum erant pluſquam humana corpora, & pares, vt videbatur cum Deo vires, etiam ab hominibus ſe vinci poſſe erubeſcerent.

Diuiſio Tribuum per Vrbes Bello captas.

CAPVT VI.

ET hic tandem finis bellorum Duce Ioſue, poſt deuictos eos etiam quos vincendi nulla propè ſpes fuerat. Datur interim pax & otium victorique vbique populo, totâ quàm latìſſime Regione vel ſubactâ gladio, vel ſub tributo ſeruiente. Cæſis tot hoſtium millibus deerant Ciuitatibus, vicis, ac villis incolæ. Miſſæ igitur in nouam Coloniam nouem Tribus cum dimidia Manaſſe (quippe iam vltra Iordanem Tribus Ruben cum Tribu Gad & altera dimidia Manaſſe, concedente ipſo Moyſe ſedes fixerant) ita ſingulis tribubus attributæ ſunt certæ Vrbes & Oppida, vt ne diutius ſolitudine horreret tam vaſta Regio, & vt totus terræ à Deo datæ tractus divideretur ex æquo. Citra iniuriam (ita Deus præſcripſerat) in partem diuiſæ terræ non venit Tribus Leui, cui ipſa Dei portio iam obuenerat, id eſt decimæ, primitiæ, oblationes, libationes ex Religione Deo ſoluendæ. Aſſignatæ tamen Leuitis Vrbes aliquot quas incolerent, & ſuburbana, in quibus eorum pecora paſcerentur. Item deſtinatæ Ciuitates refugii, vbi homi- *Ex c. 13. Ioſue.*

cidis ex caſu tutos eſſe liceret. His demum quâ potuit æquitate diſtributis omnibus moritur Ioſue, cuius vita clara victoriis, cujus geſta inſignia miraculis, præſtantiſſimum populi Ducem fuiſſe confirmant.

Bellum Chananæum ſecundum.

CAPVT VII.

Ex c. 1. Iudic.

POſt diuiſas ſortitione Tribus, & in ſuas quamque ſedes profectam, non deinceps totius populi bella, ſed ſingularum Tribuum expeditiones quædam fuerunt, tum vt fines ſuos producerent, tum vt hoſtes quibus pepercerat Ioſue, debellarent. Gratis & de induſtria relicti ſunt Chananæus, Phereſæus, & alii multi, vt ſine hoſte omnino non marceſceret virtus Hebræa, & nunc in huius, nunc in alterius expugnatione quaſi ad quandam cotem ſe ſe illa exacueret. Igitur aduerſus Chananęum conſociatæ Tribus Iudæ & Simeonis, arma capiunt, oppidum Bezech expugnant, & decem millia virorum obtruncant, & niſi Rex aufugiſſet, venerat cædes ad cumulum. Itaque dum fugiens comprehenſus eſt Adonibezech tota in illo hoſtium moles opprimitur. Capto Regi non continuo vita eripitur, ſed quaſi in mulctam ſuorum ſcelerum vt confeſ-

ſus eſt, præciduntur ſumma manuum ac pedum. Hac pœnâ iuſtè punita eſt ſeptuaginta Regum iniuria, quos truculentus Rex amputatis ſimiliter manibus pedibuſque ad Triumphum ſeruauerat; & vt ſæuitiam contumeliâ obrueret, ſub menſa veluti canes ad colligendas reliquias ſubſternebat. Sic membra truncatus & per partes cæſus, tandem in Hieruſalem expugnata atque incenſa totus occiditur. Debellato Chananæo, tum qui montes, tum qui campos inſederat, addito etiam ſicut ad pugnam, ita & ad victoriam Phereſæo, tota verſus meridiem Regio Tribui Simeonis & Iudæ ſeruiebat. Percuſſi in Hebron olim Chariatharbe tres Gigantes, Seſai, Haiman & Tholmai, cæterorum periculo addidere terrorem. Captę Vrbes Gaza, Aſcalon, Accaron, ac demum per montes volitante victoriâ, tota in Vallibus belli ſors conſiſtebat. Hîc tam terribilis erat falcatorum curruum vſus, vt inuicto populo metum tamen injiceret. His tam inſignibus exemplis tantùm abeſt vt cæterę Tribus animos ceperint, quin ſegniores factæ vel promiſcuè habitare cum Chananæis aut Amorrhæis, etiam connubia iungere contra fas Dei, vel tributarios tantùm habere, quàm delere funditus maluerint. Sic auaritia vicit obedientiam, & quos Deus occidi iuſſerat permiſſi ſunt viuere, vt illi deinde vincerent à quibus vitam acceperant. Vnica Tribus Ioſeph æmulatione ardens

Vrbem Bethel (quæ prius Luzor) ditioni ſuæ adjicit. Nec hic dolus virtuti defuit aut nocuit. Viam & aditum in Vrbem obſeſſam qui patefecit, aliorum cæde vitam ſuam redemit.

Bellum Syriacum Iudice Othoniele.

CAPVT VIII.

Ex cap. 3. Iudic.

POpulus Hebræus beatus ac potens & numquam, ab hoſtibus ſuis vincendus videbatur, niſi priùs ipſe victus peccandi libidine in eorum ſe poteſtatem abjeciſſet, quorum ſacrilegos cultus ſuſceperat. Quos priùs auaritiâ amicos contubernales, demum conſanguineos fecerat nefandis nuptiis, ex ipſis deinde ſuperſtitio veri Dei cultum excuſſit atque memoriam. Quam fœdum dictu, vt qui Deo cœli ritè litauerant, poſteà Baalim & Aſtaroth Deorum monſtris ſupplicarent! Tantam impietatem iratus Deus ſeruitute vlciſcitur; dignâ quidem ſcelere pœnâ, quippe octo per annos ſerviunt Regi Meſopotamiæ Chuſan Raſathaim, quos obſequij diuini pertæſum fuerat, vt experirentur quanto diſpendio ſortem mutaſſent ſeruire coacti qui ante regnabant. Subiit populum facti pœnitentia, quâ tandem plus offenſum Deum placauit, quàm priùs ſacrilegio offenderat. Flectitur itaque ſup-

Digitized by Google

plicum votis & lachrymis, ipſis Othonielem mittit libertatis vindicem & vt ſic dicam *ſaluatorem*. Hic repente coacto exercitu Syriæ Regem vno velut incautum certamine opprimit, populo libertatem, tetris pacem & ſecuritatem in quadraginta annos reſtituit. Ille ad hanc victoriam jam quaſi proluſerat, vi captâ Cariath-Sepher id eſt Ciuitate litterarum. Victor Othoniel, Iudex liberati populi conſtituitur à Deo, eum namque decebat in illos exercere Iudicia quos ſibi iure belli mancipaverat.

Bellum Moabiticum ſecundum, Iudice Aod.

CAPVT IX.

TAnto ſibi dato Iudice non peccauere Hebræi, quaſi pædagogum re- *Ex eod. c. 3.*
ueriti; quo defuncto rediit peccandi licentia, creuit ſuperſtitio, creuit & indignatio Dei. Hinc noua ſeruitus, & tributum ſub Eglon Moabitarum Rege. Huic, quia non audebat, in populum inuictum audaciam facit Deus & adhuc dubitanti ſociat hinc Ammonitas, hinc gentem Amalech inimicam Hebræis. Hoc auctus prçſidio & diuinâ ſpe plenus Vrbem Hierico ſeu Palmarum id eſt totum illum tractum (nec enim Vrbs diruta à Ioſue repoſita adhuc erat) per

Digitized by Google

vim aufert, cæſis aliquot Hebræorum millibus, cæteris conſternatis. Deinceps in decem & octo annos victori Regi ſeruit populus & tributum pendit, donec miſſus Aod filius Gera non tam tributi ſe onere exoluit quàm Regis trucidandi conſilium cepit. Ita illi perſuaſerat Deus, vt vnius nec totius populi ſalus conſtaret. Ad expediendam Regis cædem mirum eſt quo fato & cædentìs ambidextra manus, & cæſi corporis craſſities, & gladij ancipitis palmaris breuitas conſpirauerint. Igitur Regem adit Aod & in aurem ſe loqui velle ſimulans, non ſilentium modo, ſed & ſolitudinem impetrat: remotis arbitris aſſurgenti Eglon ſicam tam feliciter inſigit Aod, vt ſequente capulo ferrum in vulnere, fœdo alui profluuio fœdiorem efflauerit animam. Parùm felix viſa fuiſſet illata nex Regi, niſi impunè & citra periculnm occidentis fuiſſet Rex cæſus. Itaque relicto in percuſſo ventre gladio quem adeps obſtrinxerat, ita fugam ſuam adornat vt clauſis cœnaculi oſtiis quaſi nihil manu egiſſet, abierit. Mox cognitâ à ſeruis Regis cæde, ſecurus in Seizath venit Aod, luctus, terrorque apud Moabitas, apud Hebræos gaudium fiduciaque inualuit. Tunc hortante Aod; *Sequimini me, noſtri ſunt Moabitæ*, decem millia circiter gladio occumbunt, & occupatis diligentiſſime vadis Iordanis quæ tranſmittunt in Moab, ne unus quidem fugâ elabitur. Quis mirabitur tanto Duce

partum hunc Triumphum, qui periculo vitæ ſuę, populi ſalutem expediit? Quis indignabitur Regi Eglon clanculum paratam necem? hæc pœna fuit pro Idolis quæ in Galgalis adoranda poſuerat. Quis potuit ictum percuſſor fruſtrari, cuius manum etiam ſiniſtram direxerat Deus? Quis dolum in accincto ad dextrum femur gladio arguat? omnia vindicanda Dei iniuria ſancta eſſe iubebat.

Bellum Philiſtæum primum ſub Sangare.

CAPVT X.

VNius diei certamen octoginta annorum pacem peperit. Tumultuatum quidem interim apud Philiſtæos, & tentatum aliquod bellum, at ſexcenti ex Philiſtim viri percuſſi à Sangare filio Anath cæteros timere Hebræum docuerunt. Vomere, vel vt alij volunt, ſtiuâ aratri ſeu ſtimulo boum confecta eſt ſtrages, vt intelligeret hoſtis ruſticanos etiam Hebræorum, militiam noſſe, & tam ipſam domari poſſe ſtimulis quàm boves ipſos. Talibus haſtis ſeu lanceis tertius hic Iudex inſignior fuit, quàm alij fortibus armis, non virtute bellicâ formidandi. *Ex cap. 3. Iudic.*

Digitized by Google

Bellum Chananæum tertium Iudice Debbora.

CAPVT XI.

Ex cap. 4. Iudic. SEmel & iterum victi ab Hebræis Chananæi, tertio & obſtinatius in ſuam perniciem bellum mouent, hoſtium numero & quaſi mole prçcipuum, ſi comparare placet cum prioribus, admirabile quoque & ſtupendum euentu; quippe non viro Duce, ſed fœminâ inchoatum, per fœminam inſuper fœliciter confectum eſt : quaſi indigna eſſet tam ſçpe rebellis natio vt à viris ſicut antea vinceretur. Cauſa belli hujus, oppreſſio populi per viginti annos Iabia Regi Chanaan ſervientis, Deo Hebræorum ſacrilegia pœnâ conſimili perſequente. Sed ſicut amor ſuperſtitionis miſeros fecerat, ita ſceleris pœnitentia liberos abire juſſit. Quâ fortitudine valeret Chananæus, hinc ſatis apparet, quod nongentos currus falcatos haberet, infinitum prope exercitum, Ducem maximum Siſaram : quâ felicitate deuictus ſit, incredibile dictu eſt ; quippe vel ſolus terror Deo deſuper fulgure, grandine, tonitruis militante profligavit, quos tanti erat ferro attingere. Caput admirationis, Dux fœmina, quæ plena Deo nunc vatis oracula reſponde-

bat, nunc ſub palma iudicia exercebat in populum. Barach filius Abinoem comes (nec enim hic ſolus exire in aciem audet) vt præcipua Chananæi expugnatio res eſſet fœminarum. Audivit Siſara Barach Debboræque aſcenſum in montem Thabor cum decem millibus pugnatorum, quæ peſſundari facile credidit per nongentos currus, vel obrui numeroſo exercitu de Aroſeth gentium. Sed vanum fidei fefellit ſpes ſua. Teſtis torrens Ciſon vbi hoſtes mutuâ cæde caderent, currus terrefacti colliderentur. ipſe Siſara curru deſiliens fugâ perſequentem Barach peruerteret. Quid tantùm profuit fuga quem fata vbique expectabant. Tandem in tentorium Iahelis conjugis Aber Cinæi anhelans venit, & apud mulierem cum Rege fœderatam, quid inſidias timeat? quin lacte pro aqua quam oppidò ſitiens petierat accepto, amica & tuta ſperauit omnia. Sed ô formidoloſum fœminæ animum, illa opertum pallio hoſpitem, vbi ſoporatum videt, tempora clauo transforat, in terramque affligit, vt ſic ſoporem cum morte coniugeret Siſara. Tandem Iahelis clauo infixus terræ finem Chananæo bello fecit, & tantam Ducis cædem ac dedecus totius Regni Iabin ruina ſecuta eſt. Hoc ſummum Dei beneficium celebravit Debbora cantico, triumphum verè imputans Deo, eo quod fœminæ viros viciſſent.

Digitized by Google

Bellum Madianiticum ſecundum ſub Gedeone.

CAPVT XII.

Ex c. 6. Iudic.

OMnis mox Regio quæ modo Palæſtina audit, quadraginta annos pacem habuit. Quis enim poſt Chananæum tertiò debellatum auderet ? Auſus eſt tamen Madian, & ne debilior, quia ſolus, inſurgeret, iunxit ſe illi Amalech & cæteræ Orientis gentes. Sic ſociatis viribus hoſtium, crevere mala oppreſſi populi, ita vt in antra & concaua montium, velut in domos refugerent alij, ferarum quàm hominum ſimiliores, alij altiſſima conſcenderent & ſitu munitiſſima loca, vt ibi nihil quàm ab irato cœlo metuerent. Interim vacuam Regionem ſuis colonis, hoſtes cum gregibus ſuis, ô dura ſors ! fixis tentoriis inhabitant : ſata omnia vix in herbis pubentia populatur innumera hominum & camelorum quaſi locuſtarum cohors. Ita nihil reliqui erat ad meſſem, ad pabulum abactis procul gregibus iumentiſque Hebræorum. Quanta peccantis populi ſcelera quæ tantis Deus iuſſit expiari calamitatibus ! Quid deerat miſeris ; niſi vt omnino perirent ? Et perierant etiam in patria iam non ſua, niſi miſſo Prophetâ, deinde Angelo per

Gedeonem promiſiſſet Deus proſpera omnia ſupplicanti Hebræo, ne vltra conceſſæ illi à Deo terræ inquilinus fieret hoſtis barbarus. Itaque in Ducem eligitur Gedeon ſeu Hierobaal (hoc dictus eſt nomine ab deſtructa ara Baal, lucoque ſucciſo.) Dubitans Gedeon confirmandus fuit à Deo ſibi per Angelum in oblato ſacrificio loquente. Duplici inſuper opus fuit prodigio, primum quidem oſtenditur petenti ſolum vellus roſcidum in area, terra circumquaque arida & expreſſi velleris rore concha impleta, deinde vellus ſiccum apparuit, totâ interim terrâ rore mirabili ſuperfusâ. Ex his ſignis, diverſis licet, in vnam ſpem concurrentibus bene auſpicatur Gedeon & ſe à Deo datum Ducem intelligit. Sed quis crederet ? magno delectu facto ex domo Abiezer, ex Tribubus Manaſſe, Aſer, Zabulon & Nephtalim prohibetur multum exercitum educere. *Multus tecum eſt populus* (inquit Deus) *non numero vinces, ſed paucorum fortitudine*, vt intelligeret Gedeon, vel totam fore Dei pugnantis victoriam, vel certe etiam in paucis vincere poſſe qui armatus eſt Deo. Igitur ex coacto exercitu dimiſſa in ſuas domos viginti duo millia virorum: & adhuc viſus eſt Deo populus multus, cum decem millia tantum reliqua eſſent, donec in tercentum bellatores tot millia hominum contracta ſunt: artem & viam docuerat Deus Gedeonem, quâ imbecilles ſegregaret à bella-

toribus. Vniuerſos ad flumen deductos quò ſitim extinguerent ex ipſo hauſtu aquæ facilè probauit; vt qui curſim manu lympham in os projicerent & quaſi more canum linguâ lamberent, retinerentur ad prælium, qui curuato poplite vel toto corpore procumberent tanquam genus inutile armis, amandarentur. Ita ſobria mens viros probat & milites facit. Trecentorum Dux Gedeon (nam reliquum vulgus in ſua tabernacula abierat) tripartito exercitu Madianitas ex improuiſo adoritur. Caſtra primùm dum comite puero Phara tacitus explorat, audit ſomnium Madianitæ & ex re inani ſolidam ſpem arripit & labantem animum confirmat. Viderat vnus excubitorum Madian, ſubcinericium ex hordeo panem volui per caſtra, & illius quaſi fulminis lapſu æquatum ſolo tabernaculum: *Non eſt hoc aliud* (inquit ſocius) *niſi gladius Gedeonis.* Hoc audito quid non tentet intrepidus Gedeon? Hunc trecenti in caſtra hoſtium ſecuti dextrâ buccinam, læuâ incluſam geſtant in vacua lagena lampadem, & ô nouum bellandi ingenium! vix cum ſociis tuba perſonuit Gedeon & comploſis lagenas frangendo vbi terribiliter conclamauit miles; *Gladius Domini & Gedeonis*, mox turbata hoſtium caſtra, fugere omnes in diuerſa vlulantes, & ſic trepidatio pro victoria fuit. Laboraſſet victor Hebræus in tot millibus cædendis, niſi ſe ſe ipſi mutuâ cæde truncaſſent.

truncaſſent. Quin & fugientes ſiſtere, aut perſequi cum non ſufficiunt trecenti, vocatâ in auxilium Tribu Ephraïm ad occupandum Iordanem, apprehenſi ſunt Oreb & Zeb militiæ principes, quorum præciſa capita ad Gedeonem, vt certa victoriæ trophæa portantur. Deerat ad cumulum triumphi, vt Reges quoque Madian Zebee & Salmana in Gedeonis manus ſubiecti venirent. Hos in ipſo ęſtu fugę comprehenſos manu ſuâ obtruncat Gedeon, vbi audiuit ab iſtis fratres ſuos occiſos. *Ideo* (inquit inſultans) *viuit Dominus, quia ſi ſeruaſſetis fratres meos, non vos occiderem.* Hanc necem primogenito Iether mandauerat, ſed cum timuiſſet puer in tantos viros ferro inſurgere, toto robore patris opus fuit. Tandem hoc Duce domitus iacuit Madian, nec poſthac auſus eſt rebellare quadraginta annorum indultâ requie. Vir quidem hic magnæ, ſed calamitoſæ virtutis, qui ſeptuaginta filiorum pater ex multa Coniuge poſt mortem in vnico hærede ſuperuixit. Quippe liberos omnes ante diem, præter minimum natu Ioathan, dira mors abſumpſit, & ſic apparuit tantæ virtuti inuidiſſe fortunam. Hoc vno ſaltem beatus Gedeon, quòd placidâ ſenectute vitam finiit & bellicos labores longâ pace potuit obſignare. Magnus hic, qui Reges & innumerabiles exercitus debellauit, maior, qui delatum ſibi ac poſteris regnum ac dominationem reſpuit, ſolâ prædâ contentus, quæ Iſ-

maëlitis erepta fuerat. Pręda hæc ex inauribus aureis ad pondus ſeptingentorum ſiclorum, ex monilibus, veſtibus purpureis Regum & torquibus aureis camelorum. Laudanda porrò fuit pietas Gedeonis, niſi profanam feciſſet ſuperſtitio populi. Nam conflatum ex inauribus Ephod, id eſt veſtem ſummi ſacerdotis bene inſtituerat; ſed illo poſteà abuſus eſt populus ad Idololatriam. Ideo quod Gedeonis gloriæ & ſaluti vertendum erat, in perniciem ceſſit domus ampliſſimæ.

Bellum Ammoniticum primum.

CAPVT XIII.

ITerum Hebræi poſthabito diuino in Idolorum cultum defluunt, & vetera crimina nouis cumulant, at certè non inulta. Iterum Deus ſuos eorum prædæ ac ſeruitio tradit, quorum ſuperſtitionem amauerant, vt quos pacis commoda primùm per viginti tres annos ſub Thola Iudice ac deinde per viginti duos ſub Iaïr Galaadite à Dei Religione amouerant, belli poſthac innumeræ clades, calamitateſque reuocarent. Itaque ab Ammonitis dirè diuque, id eſt per annos decem & octo vexatos pœnitere coëgit, & vaſtitas Patriæ & rerum afflictarum ſumma inopia. Ideo pene ſimulatam,

quam tot mala extorſerant pœnitentiam reſpuit Deus, ſed vbi proiectis Idolis ſeruire Deo velle profitentur, tandem negatum impetrant Dei miſerantis auxilium. Mox vnuſquiſque ſocios aduerſùs hoſtem hortari, at ſine Duce quis audeat? Qui primus Ammonitas bello tentauerit, hic omnium voto Ductor decernitur. Et hic Iephte fuit, filiorum Galaad fortiſſimus, vt alter Ioſeph à fratribus pulſus & exheredatus, quia ex ſcorto ſeu adultera genitus, principatum inter fratres obtinet, nec aliá mercede quàm principatu pro bene geſto in Ammonitas bello paciſcitur, iam tum in terra Thob latrocinantium & egenorum Princeps factus. Exordium belli à legatione ad Regem. Hic rogatus à Iephte pacem, nec à vaſtatione Galaad temperans, in locum pacis, bellum ſibi accerſit eò acerbius quò iuſtius. Votum pro victoria hoſtia promittitur, quidquid primùm reuertenti de prelio obuium venerit. Venit filia Iephte vnica, tympana quatiens choroſque ducens & poſt defletam in montibus virginitatem immolatur Deo. Sic voti reus pater pietatem exuit, vt religioni malè ſeruiat. Fortè conſecrata eſt Deo puella, vt etiam non occiſo corpore, quaſi moreretur abſtracta à nuptiis nunquam genitura mortales. Inde mos Hebræorum, vt quot annis per dies quatuor defleatur filia Iephte, cui virginitas inuſitata pro morte fuit.

Ex c. 11.

Bellum Philiſtæum ſecundum ſub Samſone.

CAPVT XIV.

Ex c. 13. vſque ad 16. Iudic.

DOmiti primùm Sangare Duce Philiſtæi, iterum in Hebræos quaſi ſecundum faciunt impetum fortiorem quidem, ſed non feliciorem. Illi victores tum duro ſeruitutis iugo populum opprimunt, vt per quadraginta annos ſolis lachrymis liceat tantum dolorem lenire. Certè digna erat noua populi impietas hac longâ ſeruitute mulctari, at dignæ quoque illius lachrymæ, quas ipſe Deus abſtergeret, dato aduersùs Philiſtæos Duce ac vindice potentiſſimo. Samſon hic fuit ſterilis matris partus, vt victoriam promitteret victa ipſa in eius exordio natura. Nazaræus fit, id eſt Deo conſecratus ab infantia, vinum & ſiceram bibere prohibetur & comam tondere, vt totus Deo ſacer diuinam fortitudinem hauriat, profano cibo exhauſtus & quaſi exſuccus. Quantum huius viri decus, cuius natalem parentibus pronunciat Angelus, & fugiens in flamma holocauſti placitum Deo ſacrificium confirmat? Creſcit puer, ſed in exitium Philiſtinorum, & in hos rebellandi non tam illi ſuberant cauſæ, quin quærenda fuit honeſta occaſio. Hoc fine accepta

in vxorem mulier Philiſtæa inuitis parentibus, & obſtante lege, Deo tamen interiùs afflante. Oritur primùm rixa in conuiuio coniugali, mox belli fit iuſta cauſa. Proponit inter epulas Samſon problema, quod niſi extricant conuiuæ Philiſtæi intra ſeptem dies, triginta ſibi Sindones pendant & totidem tunicas. Problematis nodus hic erat: *De comedente exiuit cibus, & de forti dulcedo.* Cæſus in via leunculus, & in fruſta diuiſus, tum deinde inuentum in ore leonis examen apum, & fauus mellis, quem Samſon in via comederat cum inſcio Patre ænigmati locum fecerat. Quis tantas ambages reſolueret, niſi Samſon ipſe? Vxor per ſeptem dies illi blandita & rogitans arcanum mariti tam citò euulgat, quàm ſolerter extorſerat. Vbi audit Samſon conuiuas nodum ſoluiſſe cum dicerent, *Quid dulcius melle, & quid fortius Leone?* agnoſcit locutam vxorem, indignatur, & non minùs quàm diuortio muliebrem perfidiam mulctat. Tum Aſcalonem deſcendit, & triginta Philiſtæis neci datis detractas veſtes in pretium ſoluti problematis tradit. Et hæc adhuc belli præludia, donec addita cędi hominum ſtrages camporum. Nam totas Philiſtinorum ſegetes, vineas & olíueta ſuccendit Samſon, & adhuc plus irâ ſæuiens, quàm igne, incendio iſti, ne vulgare ſit, artem & ingenium nocendi adhibet. Trecentas vulpes capit, alteram alteri per caudas fune religat, in medio-

que faces inflammat, quibus ipſo diſcurſu & in tranſuerſum motu magis ardentibus cunctæ quoque in agris arſere fruges ſeu ſtantes in ſtipula, ſeu iam collectæ in cumulum. Tantæ ſtragis cauſa fuit data vxor Samſonis alteri viro ob diuortii moram & iniuriam. Crediderant parentes repudiatam omnino, quæ ad tempus relicta fuerat. Non tulere patienter Philiſtæi, ſed incendium Samſonis alio incendio vlciſcuntur, & quaſi obruunt. Mox vxorem Thannatæam cum Patre flammis abſumunt, vti ſtragis acceptæ cauſas ac fomites. Et hinc noua bellandi occaſio, tamque felici impetu percuſſi Philiſtæi, & tam multi ab vno, vt ſura femori impoſita ſtuperent ſinguli, ac deinceps non in Samſonem tantùm, ſed in vniuerſum populum coniurant Philiſtiim de vno, ſi poſſint, inter multos repetituri vindictam. Coacto exercitu caſtra metantur in terra Iuda, minantur perniciem, vaſtitatem intentant, niſi Samſonem ſibi tradant reuinctum. Fortè tunc in ſpelunca Ethan latebat, & ita ligandum ſe permiſit duobus nouis funibus, tradique ſe paſſus eſt à Tribu Iuda in manus hoſtium, quò contribules à ruina belli eriperet, vt tamen vociferantibus Philiſtæis, ſicut ad prædam canibus, mox reſoluta ſunt vincula, ſicut ad ignem ligna in cineres abeunt. Ille liber & expeditus inuentâ mandibulâ aſini, ô qualibus armis! mille Philiſtæos, quaſi quoddam imbelle pe-

cus proſternit, cæteros in fugam pulſos eum timere docet, qui vel ſolus vincebat. Sitienti de pugna protinus de molari maxillæ ſcatet fons limpidus, qui ſitim miraculo extinguat, vt ab eodem & victoriam & poculum victor hauriret. Debellatis tam ſæpe Philiſtæis quid reliqui erat, quàm vt arte, & dolo comprehenderent, quem vi, ac manu non poterant? Bis terque conatos fruſtra, magis ac magis vinci puduit ab vno, & clarior apparuit fortitudo Samſonis, quem nec dolus ipſe euinceret. Gazam Vrbem ingreſſo excubant Philiſtæi, vt manè exeuntem opprimant. At ille nocte concubiâ euigilans ambas portæ fores cum ſera humeris, ô verè fortibus! tranſportat in vicinum montem. Deinde dum habet Samſon in valle Soreth, iterum ad dolos intenta omnium ſtudia, ſed fruſtra omnes doli, niſi cum fœmina ſuas artes pactâ pecuniâ addidit. Hæc, (Dalilam dicunt) qua Samſon vtebatur vt ſcorto, licèt illuſa ſæpius, tandem amatori ſuo illuſit. Nunc ſeptem neruis conſtrictus, nunc nouis funibus religatus, nunc ſeptem capitis crines cum licio plexos clauo terræ affixus, cum omnia facilè vel rupiſſet vel extricaſſet, tandem capite eraſo, vt ipſe confeſſus fuerat, amiſit fortitudinem. Traditus deinde hoſtibus ſerò intellexit viros à viris interdum expugnari non poſſe, à fœminis poſſe, & omni virili robore fortiores eſſe blanditias ipſas muliebres,

præſertim ſi meretricium eſt lenocinium. Carceris tenebris damnato Samſoni eruunt oculos Philiſtæi, vt ſic exoculatum turpiùs derideant & magis impunè, tum inter epulas, tum inter ſacrificia Dei Dagon. Idem ludibrio eſt qui fuerat ante terrori. Sed non diu quidem, renatis quippe cappillis rediit priſtina fortitudo, vt detonſa potiùs videretur, quàm ſtirpitus exciſa. Igitur cum viri creuiſſet virtus creſcente comâ, iterum facilè triumphat de hoſtibus, quos centies vicerat. Sed ne poſthac veniat in manus hoſtium, maluit ſemel moriendo vincere, quàm vltra viuere, & timere ne vinceretur. Iuſſus eſt per iocum duas inter columnas ſtare, vt nunc huc nunc illuc impingeret, vtramque amplexus, vnam læuâ, alteram dextrâ tam fortiter concuſſit, vt ruinis lapſæ domus ſe, ſuoſque hoſtes oppreſſerit. Ita enim Deum rogauerat, *Moriatur anima mea cum Philiſtim.* Tria millia vtriuſque ſexus, qui de ſolario domus ludentem Samſonem ſpectatum venerant vna ruina domus conuoluit, vt verè de illo, qui in ipſa morte vincebat dictum fuerit *Multò plures interfecit moriens quàm viuus occiderat.* Hac morte vitam finiit Samſon, quam ſibi ipſe intulit iubente Deo, ne prolixiùs viueret in opprobrium Dei. Certè non ſanctiùs potuit mori, nec fortiùs, vt quem non niſi manus propria poſſet extinguere.

Anacephaleoſis

Anacephalæoſis.

HActenus populus Hebræus ſibi concors totus fuit in edomandis exteris hoſtibus, & alieno imbutus ſanguine, ſuo ipſiusvoluit erubeſcere. Hactenus pulchra, egregia, ſancta, & vt verè dixerim, diuina bella geſſit aduerſus Reges populoſque innumeros. Sequuntur alia fœda, impia, vno verbo ciuilia, quibus conuerſo in ſua viſcera gladio per cruentas ſeditiones ſua ipſe membra lacerauit. Quàm turpe eſt dicere qui Chananæis, Syriacis, Moabiticis, Philiſtæis, Madianiticis bellis nomen ſuum celebrauerat, deinde Sichimitarum & Ephraimitarum ſeditionibus, & maioribus in dies flagitiis veterem gloriam cum ignominiæ labe mutaſſe. Pudet ſane hæc ciuilium certaminum probra intermiſcere iuſtiſſimis prœliis: ſed iſta vt ſpero eò ſanctiora videri poterunt, quò alia fœdiora & magis turbida apparebunt. Vt apud Pictores fuſcis & ingratis coloribus permixtis pulchri egregiique reſplendent magis, ita apud Scriptores mixtura vitiorum virtutes conſpicuas facit & vultu meliores. Seditiones quæ ſequuntur omnes in vnum locum non in idem tempus contuli, vt quidquid ferè per trecentos annos ſub Iudicibus bene geſtum eſt, habeatur collectum, tum ſeorſim, quod interim peccatum fuit, vt quaſi viuidus color ex vmbra magis eluceat.

Digitized by Google

Seditio Tribus Ephriam in Gedeonem.

PRima fax & quaſi turbo bellorum ciuilium æmulatio Tribus Ephraim aduerſus Gedeonem, qui ex Tribu Manaſſe ortum duxerat. Memor illa, Ephraim prælatum Manaſſe, dum vtrique benediceret Iacob, indignata eſt viciſſe Gedeonem, & cum illo in partem non veniſſe victoriæ. Orta ex tumore indignatio ad iurgia proceſſit, quin etiam ad vim hoſtilem ventum erat, niſi hunc ciuilem motum mollibus verbis repreſſiſſet Gedeon, & illos viciſſe diceret, qui ne quidem pugnauerant. *Quid tale facere potui* (inquit) *quale vos feciſtis? nonne melior eſt racemus Ephraim vindemiis Abiezer? in manus veſtras tradidit Dominus Principes Madian.* Et hæc citra ſanguinem dura contentio. At inclementiùs actum eſt cum viris Socoth & Phanuel, nam primores Socoth ſeptuaginta per tribulos & ſpinas diſtractos comburi iuſſit ardentibus ſpinis. Turri verò Phanuel ſubuersâ, ciues loci gladio minuti ſunt. Hac pœnâ pungente vindicanda fuit contumelia quâ punctus ac laceſſitus fuerat Gedeon, iuſte illis ereptâ vitâ, qui tranſeunti ac laſſo militi negauerant cibos, & illud in fratres egerant, quod in hoſtes impunè agere potuerant.

Digitized by Google

Seditio Abimelech Regis Sichem.

DElatum ſibi à populo imperium reſpuerat Gedeon vt ſolus regnaret in Iſraël Deus. Abimelech ex concubina Gedeonis filius genere, eloquentiâ, fortitudine facilè Princeps, patris modeſtiam ambitione, imò pietatem crudelitate oppreſſit: ſeptuaginta fratribus, excepto minimo natu qui transfugerat, occidi iuſſis, ſolus dominari facilè potuit. Iuuit eloquentia temeritatem hominis. Vnâ oratione cunctos Sichimitas ad arma ſumenda compellit. Igitur conſtituitur Rex Abimelech, decreta inſuper & data ſeptuaginta pondo argenti de phano Baal. Inde conducti inopes multi ac vagi & rerum nouarum cupidi. Nec diu ſtetit tam malè parta dominatio. Tertio poſt anno regnum ipſe ſibi & vitam abſtulit, ne diutius viueret inuiſus ſuis & bello oppreſſus. Oderant illum Sichimitæ, etiam qui Regem fecerant: ô mobilem & fluxam hominum fidem! Septuaginta fratrum ſanguinem vlciſci parant, primùm quidem inſidiis appetunt, deinde vbi nil proſunt inſidiæ apertâ vi oppugnant. Aduolat in auxilium Gaal filius Obed cum fratribus, nec minùs quàm regnum in præmium huius auxilii præſumit animo, hac ſpe ſollicitat populum & palam dicit, *Vtinam daret aliquis populum iſtum ſub manu mea, vt auferrem de medio Abimelech*

Exc. 9. *Iudic.*

Audiuit Zebul Præfectus Regis in Sichem, & prudens diſſimulatâ irâ clam monitum vult Abimelech. Hæc erat epiſtola. *Surge nocte cum populo qui tecum eſt, & latita in agro & primo mane oriente ſole irrue ſuper Ciuitatem:* Nihil cunctatus Rex ſurgit ipsâ nocte, & in quatuor locis collocato exercitu Gaal egreſſum in pugnam, conuertit in fugam, deinde turpiter ex Vrbe ejicit illum Zebul, tandem tam acri obſidione Vrbem oppugnat Abimelech, vt cæſo omni populo ſale captam Vrbem ſeminauerit, vt vel hac ſtrage Tyrannum ageret. In arcem velut in aliquam naufragii tabulam confugerat globus ciuium, ſed hoc quoque præſidium quod gladio non poteſt, igne ferus expugnat. Præciſo arboris ramo humeriſque impoſito cuncti certatim ſocii ramalia ad inflammandam turrim exportant. Vox in furoris æſtu hæc fuit ad milites: *quod me videtis facere, cito facite.* Tanto inarſit turris incendio vt fumo & igni mille homines, tum viri, tum fœminæ conflagrauerint. Sed quam ex turri Sichimorum laudem peperit illi virtus bellica, hanc totam in turri Thebæorum amittit. Nam progreſſus in oppidum Thebes Abimelech, quaſi præceps rueret in interitum, cum iam portis incubat & obſidionem vrget, terrore nominis in arcem quæ media in Vrbe eminebat omnis fere populus, præſertim viri Principes, properanter ſe condunt.

Portam muniunt ac ſepiunt incluſi homines. Ad portam igitur tota belli moles conuertitur, ſubjicitur ignis vt Regi viam faciat quam manus non inuenit. Et fecerat, niſi mulier deſuper iniecto molæ fragmine caput Regis illiſum fregiſſet. Hic ne ſuæ necis eſſet author fœmina, conficiendum ſe armigero ſuo tradit. *Percute me* (inquit) *ne dicatur quod à ſœmina interfectus ſum.* Haud dubium, peiùs illum occubuiſſe illatâ ſibi aut imperatâ nece, quàm ſi totus à fœmina periiſſet. Sic vnius morte ſeptuaginta fratrum expiata cædes, & iuſtè deuaſtati ab Abimelech Sichimitæ, vt quia Regem illum factione quadam fecerant, ab illo funditus perderentur. Ita illis exclamans de monte Garizim prædixerat Ioathan minimus natu Gedeonis, & ex fabula de arboribus veritatem inſinuauerat. *Ierunt* (inquit) *ligna vt vngerent ſibi Regem, reſpuit oblatum imperium oliua, ficus* quoque & *vitis*, quod nec iſta vinum ſuum, nec aliæ duæ ſuam dulcedinem deſerere vellent. Annuit ſolus Rhamnus, imò ſi non faſces ſceptrumque deferant, minatur incendium. *Si non vultis me Regem egrediatur ignis de rhamno & deuoret cedros Libani. Videte ne rhamnus vobis ſit Abimelech. & vos ille bello velut igne abſumat.*

Seditio ſecunda Tribus Ephraim.

Ex c. 12. Iudic.

ITerum populus Ephraim, qui antea Gedeonem, tum deinde Iephte victorem æmulatus prælio & iurgio adoritur. *Quare vadens ad pugnam* (inquiunt) *contra filios Ammon vocare nos noluiſti? incendemus domum tuam.* Sed quia mendacio, belli cauſam prætexunt (vocauerat enim eos Iephte) iuſto prælio fundit debellatque populus Galaad Duce Iephte. Et ne quis per vada Iordauis ad ſuos redeat incolumis, occupant flumen Galaaditæ ne quis impune tranſeat. Ad quadraginta duo miliia cæſorum Ephraimitarum peruenit numerus. O quantum ex parua ſcintilla incendium; & quanto ſanguine reſtinguendum fuit!

Seditio Tribus Dan.

Ex c. 18. Iudic.

IN arcto poſita Tribus Dan, eo quod Amorrhæus fere cuncta occupauerat, ſedes quærit vbi anguſtias locorum cum latifundiis commutet. Iurè hoc quidem & honeſtè, ſed non erat inuitis extorquendum, quod precibus concedi poterat. Quinque ex fortiſſimis viris exploratores mittuntur de Eſthaol & Saraa (vilia hæc erant oppida Tribus Dan) qui terram vberem latamque ad nouam coloniam deputent. Poſtquam, inuentam eſſe, quæ tantæ ſufficiat multitudi-

Digitized by Google

ni renuntiatum eſt, ſexcenti armis accincti procedunt, primùm iuxta Cariathiarim conſident, qui locus dictus eſt ideo Caſtra Dan. Progreſſi ad montes Ephraim, domum Michæ (hic ex Tribu Ephraim oriundus montem colebat) Ephod & Teraphim id eſt ſculptili aut conflatili Idolo ſpoliant, & ſacerdotem illius Leuitem abducunt, *Veni* (inquiunt) *vt habeamus te ſacerdotem & patrem.* Hunc Michas Idolo ſuo ſacerdotem deuouerat, non contentus filio tunc ſacrificulo. Sacrilegos multâ manu inſecutus Michas, queſtuſque his verbis, *Deos meos quæro & ſacerdotem & omnia quæ habeo: & dicitis mihi; quid tibi eſt?* nihil tandem impetrat, quàm vt in ſpoliata domo tuto viuere liceat. Spoliis onuſti ſexcenti viri Vrbem Lais in Regione Rohob poſitam expugnant, & flammis delent, vt nouam excitent de nomine Dan. Facile ac pronum fuit populum ſecurum & quieſcentem opprimere, nullo præſertim ferente auxilium. Hic igitur noui coloni ſedes fixere, poſtquam ſublati de medio veteres. Et hoc tolerabile videri potuit, niſi Idolo Michæ abuſi ad cultum, veri Dei religionem extinxiſſet.

Digitized by Google

Bellum Tribule aduerſus Tribum Benjamin.

CAPVT XV.

Ex c. 10. & 20.

BEllum hoc Tribnle potiùs quàm ciuile dicere placuit : in hoc enim totæ vndecim Tribus in vnicam aceruatim & hoſtiliter arma corripiunt : antea vna aut altera Tribuum inter ſe quaſi paria gladiatorum concurrerant. Cauſa huius belli, vltio infandi criminis, vnde certò victoriam præſumerent, qui hac laude certarent. Conſtuprata fuit vxor cuiuſdam Leuitæ in Vrbe Gabar, tantâ adulterantium libidine vt ex ſtupro obierit, tanto dolore Coniugis, vt illuſum vxoris corpus in duodecim fruſta ſectum in ſingulas Tribus diuiſerit : vnâ mente, vno ore Tribui Benjamin indicitur bellum, niſi tradantur ad necem authores ſceleris. Et quia non traduntur hinc & inde inſtruuntur acies. Pares prope pugnatorum vires, quadraginta millia vndecim Tribus, ſola Benjamin viginti quinque millia ad arma coëgerat, par quoque animus, ſed non par cauſa. Nam iſti peſſimis viris fauent, illi ius omne violatum vlciſcuntur, Duce Iudâ (hunc conſtituerat Deus) & tam iuſta cauſa præliandi, ſemel & iterum debellantur vndecim Tribus. Primo prælio

Digitized by Google

viginti duo millia filiorum Iſraël gladio cadunt, ſecundo decem & octo millia; tertio tandem ita feliciter pugnant, vt priorem ſuorum iacturam tota vniuerſæ Tribus Beniamin internecione reſarciant. Cæſa viginti quinque pugnatorum millia, ſexcentis omnino ſuperantibus quos gladio concita fuga ſubduxerat. Rem totam expediunt partim inſidiæ bene circa vrbem Gabaa collocatæ, partim ſimulata fuga vt à ciuitate hoſtes abſtraherent; partim ignis excitatus & fumo demonſtratus vt de inſidiis ſurgerent qui latuerant & totam gladiis Vrbem diſtringerent, ſic enim vrbs Hai capta, huius capiendæ exemplar fuit. Tanta Vrbium ſtrages vt ne viculus quidem flammis ſuperſit, tanta inſuper cædes, vt cunctæ fœminæ, ipſa quoque iumenta diſperierint. Cernere erat inter occiſos, viros tam pugnæ habiles, vt læuâ ſicut dextrâ non minus acriter pugnarent; tam peritos fundibularios vt certo ictu etiam capillum percuterent. Pœnituit maiores natu Iſraël vnam Tribum excidiſſe funditus ad paucorum expiandam libidinem. Viſum eſt reparari quæ adhuc in ſexcentis reliqua erat. Nec ſine coniugiis noua populi fœtura ſuppleri poterat. Deerant fœminæ, nec virgines ſuas nuptui dare patitur iuramentum (nam ante prælium de non ſupplenda gente iurauerant ſingulæ Tribus & nefas erat ex alienigenis vxores ducere.) Quid conſilii capiant in re tam

ardua ? quadringentæ reſeruantur Virgines ex deleta vrbe Iabes Galaad, quam, quia non miſerat ad commune prælium, tam dirâ clade puniri placuit. Reſtabant ducenti ſine vxoribus viri. Et his etiam per dolum, at citra ſanguinem prouiſum eſt. Nam dum filiæ Silo ad feſtum diem choros ducunt, ex improuiſo rapiuntur ad nuptias. Ite (dixerant ſeniores Iſraël) *& latitate in vineis; & cum videritis filias Silo ad ducendos choros procedere, rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas.*

Coniugium Ruth cum Booz.

CAPVT XVI.

POſt obitum Samſonis ſeruiebat adhuc Philiſtæo populus Hebræus. Interim tamen pax & otium inter vtrumque, tum quia imbelles Iudices ſucceſſerant, tum quia nec ferrum quo terram colerent, haberent Hebręi, ita vt illi deſcenderent ad Philiſtiim ad acuendos vomeres, ligones, ſecurim, tridentem & ſarculum. Interim ergo conuerſa in amores & nuptias odia populorum. Itaque Ruth Moabitis fœmina cum Booz nobili Hebræo matrimonio iungitur. Nupſerat hæc primùm viro item ex gente Hebræa, Maalon nomen erat; ſed hoc defuncto cum Pa-

tre Elimelech in Regione Moabitarum, quò illum ex Bethleem Iuda compulerat fames, noluit alterum coniugem, niſi quem Socrus Noëmi traderet. Hanc igitur primùm relictâ patria proſequitur Ruth in Bethleem: *Populus tuus* (inquit) *populus meus & Deus tuus Deus meus.* Deinde non ſpreto labore ſpicilegii in agro Booz, licet peregrina mulier in gratiam tanti viri admittitur, ac demum in thorum ex quo proles ſuſcipitur nono poſt menſe, nomen Obed imponitur. Hic Pater Iſaï ſeu Ieſſe, qui Dauid Regem paulò poſt in lucem edidit, quo regnante turbida populi adoleſcentia in virilem quaſi ætatem tam pace quàm bello inclitam conuerſa eſt.

Bellum Philiſtæum tertium.

CAPVT XVII.

VT ſudam aëris temperiem fœdæ tempeſtates, ita pacem horrida bella alternant. Poſtquam per aliquot annos quieuerat Hebræus, tantæ huius tranquillitati inuidit fortuna; & ſubitò tertium cum Philiſtæis bellum quædam quaſi tempeſtas in Hebræos detonuit, tam duro impetu, vt capta etiam arca, cæde, ſtrage vaſtauerit; ſed tandem conuerſo turbine in lenem auram, pax reddita cum arca regnare populum per-

Ex cap. 4. vſque ad 8. lib. 1. Reg.

Digitized by Google

miſerit. Tertio igitur loco Philiſtæi velut anniuerſarii & prope aſſidui hoſtes, populum Dei oppugnant. Caſtrorum locus in Aphec. Concurrunt acies, initur certamen, vincit Philiſtæus, fugatur Iſraël, cæſis per agros quaſi quatuor mille viris. Lugent attoniti Proceres tantam ſuorum cladem & turpem fugam, cauſa in promptu erat, & quia grauiter in Deum deliquerant filii Heli Sacerdotis, vt non tam fortuita videri poſſet hæc clades quàm inflicta à Deo pœna pro ſacrilegiis; deinde nullus erat Samſon, & Heli nonaginta annos natus imbellem vitam agebat. Portatur arca fœderis de Silo in media caſtra, vt ſicut in ea ſedebat Dominus exercituum, ita ipſe pugnam dirigeret & arma ſecundaret. Cuſtodes Arcæ miſſi Ophni & Phinees, ambo filii Heli, peſſimi tunc inter mortales, quod vtique mali res augurii fuit, ab iis Arcam ſeruari, ob quorum ſcelera populo Deus perniciem parabat. Viſâ arcâ gaudent Hebræi, ſed breui & vt ſic dicam volatico gaudio. Nam cæſa ex Iſraël triginta millia peditum, & toto fere exercitu diſſipato, ipſa quoque Arca Dei (ô nefas) à prophanis hoſtibus diripitur. Quo audito pius Senex repente de ſella retroſum cadens ceruicem in terram elidit, & vitam abrumpit. Non potuit captæ Arcæ ſuperſtes eſſe qui tam ſollicitus pro Arca vixerat. Acceptâ morte coniugis Phinees, tam ſubitus dolor inuaſit vxorem,

vt ex vtero prolem excuſſerit, & vocatus eſt puer Iccaboth, id eſt tranſlata eſt gloria Domini de Iſrael; quia capta eſt arca Dei. Arcam Philiſtæi in templum Dei ſui Dagon inferunt, tali trophæo ouantes. Statuunt iuxta ipſum Dagon, quaſi verò falſus cum vero Deo eâdem ſede poſſent conſiſtere. At ſecus res accidit. Nam alterâ die, tum deinde ſequente inuentus eſt Dagon exturbatus in terram more ſupplicis coram arca; quin etiam capite & duabus palmis truncus ſuper limen templi projectus eſt vt vile aliquid calcandum ab intrantibus: (ideo deinceps non calcant Azotii limen in templo.) Sic dire percuſſo Deo Philiſtæorum, quid clementiæ expectaret populus? inde eſt quod per ſeptem menſes (tamdiu apud ipſos detenta eſt Arca) interfecti multi de plebe, enata per agros & villas murium cohors cuncta depaſcens: & quos mors præterierat, percuſſi in ſecretiori parte natium mortem orabant vt mitiorem pœnam. Sed neceſſe fuit vt apud Sodomitas viros dum computreſcerent prominentes extales, pœnam ſuam ſentiret flagitium. Nulla huic diuinæ plagæ medicina vtilis erat, non ſedes pelliceæ, non de Vrbe in Vrbem tranſmigrans Arca. Ergo remittenda illa fuit ad populum Iſrael, vt forte abſens morbum curaret, quem vbiuis præſens creauerat. De conſilio Sacerdotum impoſita plauſtro nouo, iunctiſque ad currum vaccis fœtis reducitur illa in terram Iſrael. Quinque inſuper mures

aurei & totidem ex auro ani intra capſellam clauduntur, vt vel ſic tum ſe tum agros percuſſos à Deo intelligant. Tandem perducitur Arca ad Vrbem Bethſames Philiſtæis conterminam, hinc (quia Betſhamitas ſeptuaginta de populo percuſſerat Deus ob curioſiùs introſpectam Arcam) in Cariathiarim, poſtremò in domum Aminadab tranſlata eſt, præfecto illius cuſtodiæ Eleazaro filio. Poſt redditam à Philiſtæis Arcam facilè ipſi deinceps debellantur. Vix namque expiatus eſt populus à Samuele hauſtâ aquâ & effuſâ in conſpectu Dei, & mox irruentes hoſtes partim fuga diſſipat, partim gladio cædit; Et quia intonans Deus fragore magno ſuper Philiſtiim terrore pugnam adjuuerat, pugnæ locus dictus eſt Lapis adjutorij. Exinde pax in Iſrael, vt vltra non auderent Philiſtæi & redditis vrbibus quas vi ceperant intra fines ſuos ſe continerent.

Finis libri ſecundi.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Bellum Ammoniticum ſecundum, Saüle Rege.

ET hæc hactenus geſta per Iudices, nunc deinceps Regibus ſumma omnium poteſtas commiſſa eſt. Reges more Gentium poſtulat Hebræus, nec pudet pertæſum eſſe diuini imperij, dolet populus, vbi ſenuit Samuel in locum optimi Patris degeneres filios ſubiiſſe. Poſtulata concedit Deus, ſed iratus ait Samueli. *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Primus Saül ex Tribu Benjamin, cui Pater Cis nomine, Rex inungitur effuſâ ſuper caput lenticulâ olei, quem Samuel oſculo ſalutatum populo Principem ſiſtit: *Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi.* Nâm Regnum illi quaſi promiſerat & probitas morum, non enim erat melior illo, & celſitudo

Ex cap. 8 vſque ad 11. lib. 1. Reg.

Digitized by Google

corporis, ab humero & ſurſum ſupereminens cæteris; reliquum erat, vt etiam fortitudine bellicâ ſe ſuperiorem oſtenderet. Dedit anſam pugnandi Rex Ammonitarum Naas obſidione Vrbis Iabes Galaad. Miſſi ab Vrbe legati qui pacem orent & fœdus & vel annuo tributo redimant. Non auditi ab impotente Rege, imò his verbis increpiti. *In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrum oculos dextros.* Tamen ſeptem dies ad monendos contribules facile impetrant: ita ſuis viribus confidebat, vt neminem ex Iſrael qui contra auderet venturum ſperaret. Venère tamen audacter filiorum Iſrael trecenta millia, virorum Iuda triginta millia. Hunc numerum coëgit Rex ex duodecim tribubus, ſingulis per fruſta boum monitis. Tum tripartito exercitu primo mane tam ferox irrumpit in media hoſtium caſtra, vt cunctos vel ad fugam compulerit vel neci demiſerit. Vix duo pariter relicti, quaſi ſocij ſocios fugerent. Acclamat populus victori Saüli qui veterem Iepthe triumphum æquauerat. Iterum ergo in Galgala Regem illum pronunciat Samuel. Et merito, nam antea electus, nunc ſe dignum præſtiterat, tum hoſtes profligando, tum maxime inimicis parcendo: cum enim quæreret populus ad necem qui Saülem deſpexerant & nolebant regnare, ille contra edicto prohibet ne quis vim inferat. *Non interficietur quiſquam in die hac, quia hodie fecit Dominus ſalutem in Iſrael.*

Bellum

Bellum Philiſtæum quartum.

CAPVT II.

PVduit populum Hebræum ſeruire Philiſtæo, ex quo regnare cœpit in Saüle, & quacumque potuit, jugum ille excuſſit. Itaque Ionathas non modò Regis filium, ſed etiam Regiæ Majeſtatis vindicem agere primus inſtituit, & percuſſâ ſtatione Philiſtinorum in Gabaa non tam hoſtibus bellum infert, quàm accendit ad prælium. Illi cum triginta mille curribus & ſex mille equitibus caſtrametati in Machmas Hebtæos in ciſternas & antra quaſi timidum pecus compellunt. Saül ipſe deſertus à ſuis (nam ſexcenti omnino remanſerant) ad vltimum diſcrimen adducitur. Quid opus fuit Philiſtæis exire in prælium, cum non eſſent qui vincerentur : ſatis viſum eſt per tres cuneos diſpoſito agmine prædas abigere, quippe non interueniret Saül cum ſexcentis viris inermibus (cauerant Philiſtiim ne quis faber Hebræis gladium aut lanceam cuderet.) Indignatur Ionathas tam licenter & impunè hoſtem graſſari, ſolus comite armigero irrumpit in caſtra, nec minùs audet, quia impar tot millibus: *Non eſt*, inquit, *difficile Domino ſaluare vel in multis, vel in paucis*, nec prærupti aditus illum morantur, quin pugnæ aui-

Ex c. 13. *&* 14. *l.* 1. *Reg.*

K

dum ipſa pugnandi difficultas inſtigat magis. Eminebant ex vtrâque parte caſtrorum petræ ſeu ſcopuli, quaſi dentes accisi per quos nitendum erat, nomen vni Boſes, alteri Sene. Igitur pedibus manibuſque reptans Ionathas, ita de vultu ipſo turbata caſtra arripit, vt alij coram Ionatha, quaſi de cœlo afflati cadant, alios cædat armiger promiſcuè, etiam qui à præda redierant, proſtratam multitudinem ſuo numero augent. Audito Saül Philiſtæorum tumultu, vel mutuò ſe cædentium, vel ad fugam properantium, primùm, tantum Dei miraculum admiratus (nam inſcio Patre auſus erat Ionathas) reliquos expugnat exercitus. Ne vnus quidem relictus erat, niſi Ionathas in iuſiurandum Patris guſtato melle peccaſſet. Adiurauerat Rex populum dicens, *Maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis.* Non audiit Ionathas, & ex fauo virgulâ expreſſum mel vorauit ex fame. Deprehenſum iuuenem per diuinam ſortem Pater interfici iubet, ſed pœnam capitis tumultuans populus auertit. *Ergone,* inquit, *morietur Ionathas, qui fecit ſalutem magnam in Iſraël?* Hoc nefas eſt. Certè excuſandus Ionathas, qui iurati Patris edictum neſcierat, & criminandus Saül, qui nec Patrem egit tantâ ſeueritate, nec Imperatorem tam facili iuramento. Potuit enim ampliùs triumphare de hoſtibus, ſi fatigato militi licuiſſet comedere.

Bellum contra Amalech ſecundum.

CAPVT III.

AScendentibus de Ægypto Hebræis armatus obſtiterat Amalech. Placuit Deo per Saülem hanc veterem vlciſci iniuriam & noui Regis obedientiam probare. Itaque iuſſus totum Amalech perdere, id eſt viros ſimul & fœminas, paruulos ac lactentes, bouem & aſinum, camelum & ouem vnâ cæde confundere, malè pius reſeruat Agag Regem, & optima quæque de armentis & gregibus deſtinat libanda Deo. Sed audit ab irato Samuële: *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior eſt obedientia, quàm victima, & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum.* Interficiendus tandem fuit Agag ex placito Dei, & quem decuerat à Rege occidi, ſacerdos propriâ manu obtruncat. Tanto capite cæſo, reliquo corpori Amalech nulla reliqua ſpes ſalutis fuit. Poſt occiſum Agag pinguem ac trementem abiit Samuël, abeuntem apprehendit Saül, & illius diſſecto ac ſciſſo pallio, Regni ſui ſciſſuram intellexit. Non obtemperans Deo indignus viſus eſt qui regnaret.

Exc. 15. lib. 1. Reg.

Triumphus Dauidis de Goliath Philiſtæo.

CAPVT IV.

Exc. 17. & 18. l. 1. Reg.

CONgregato vtrinque exercitu tum Philiſtinorum in finibus Domnin, tum Hebræorum in valle Terebinthi. ne tam frequenti conflictu comminuerentur vires, vnius pueri, paſtoriſque manu, quis crederet? de cunctis hoſtibus expeditus eſt triumphus. Quis tale vnquam audiuit, vt immanis ſtaturæ vir (nam ſex cubitos & palmum procerus, Gigas dici potuit) percuſſus à Dauide adoleſcente iacuerit? Quanta huius facti prodigia? Non modò puer in virum, puſillus in Gigantem, ſed etiam inermis in armatum inſurgit. Goliath caput caſſide, pectus loricâ hamatâ indutum, haſta præ manibus, ocreæ in cruribus æreæ, denique clypeus ex ære quoque protegebat humeros: Dauidi ſola funda, & baculus, & quinque in pera lapilli pro armis erant. Induerat illum Rex ſuâ loricâ & caſſide, & gladio latus cinxerat, ſed armis geſtandis inaſſuetus non potuit greſſum expedire. Igitur ætate, corpore, armis inferior Dauid frontem Goliath vel vno lapide ferit &, ô rem incredibilem! tam certo ictu ſemianimem proſternit, vt etiam caput iacentis gladio præciderit, vt inſigne trophæum vi-

ctoriæ. Quid iuuit Goliath armorum pondus (nam lorica quinque millia ſiclorum æris, haſta ſexcentos ſiclos ferri habebat, & ipſum haſtile liciatorio texentium ſimile erat?) Quid profuit corporis moles infanda, niſi vt lapſu grauiore rueret? Quid timeret adoleſcens hic etiam Gigantem appetere, qui cuſtos gregis paterni, nunc vrſos, nunc leones apprehenſo mento præfocauerat ſæpe? Erit, inquit, ad Regem ſpe Dei plenus, Philiſtæus hic quaſi vnus de leonibus. Occiſo Goliath continuò fuſus Philiſtæorum exercitus inſequẽte Hebræo victore. Reuertenti de prælio Dauidi pendente de manu capite Goliath, de cunctis Vrbibus nobiles accurrunt matronæ, & tympanis ac ſiſtris choros ducentes accinunt. *Percuſſit Saül mille, & Dauid decem millia.* Magna hæc laus filio Ieſſe debita quidem, at imprudens tamen, & cauſa Regalis odii fuit. Nam viciſſim, quaſi anſer oloribus obſtrepit Saül. *Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille: quid ei ſupereſt niſi ſolum regnum?*

Perſecutiones Dauidis.

CAPVT V.

TAm felix, tam citò victor Dauid faſtu inſoleſcere poterat, niſi odium & liuor Regis fatigaſſet, vicit tamen inuidiam conſtans animus, & vtilior per- *Ex c. 19. vſque ad 23. lib. 1. Regum.*

ſequendo factus eſt Saül, quàm Ionathas amiciſſimus blandiendo. Mirum eſt vt domi, vt militiæ, vt in Vrbe, in agro, apud exteros, apud ſocios, apud hoſtes vbiuis gentium perſequente Saül, effugerit Dauid, & tanta illum Regis ira citiùs ad regni decus prouexerit. Primùm configere lanceâ ſemel & iterum annixus eſt Saül; ſed ſemper caſſo vulnere perlata eſt in parietem lancea, & corporis declinatione vitatus eſt ictus. O ingratam Regis manum in Cytharædum iuuenem, qui pulſu cytharæ dæmonem ab eo ſæpe arcuerat! Egreſſus aulâ Dauid domi ſe condit, nec ibi ſecurus latet. Cogitur per feneſtram demiſſus ab vxore Michol ad Samuëlem tranſire in Naioth, deinde in vrbem Nobe ad Achimelech Sacerdotem. Tandem nuſquam toto regno Saülis tutus ad extera regna migrat, primùm ad Achis Regem Geth, poſteà in Maſphat ad Regem Moab, nec tam ſæpe hoſpitii iura commutans, ſecurior factus ſola loca & antra petit, quaſi inter feras, quàm inter homines habitatio minoris eſſet periculi. Igitur à Maſphat iubente Gad Propheta in ſaltum Ared tranſgreditur, aliquamdiu moratus in ſpelunca Odolla, vbi factus Princeps quadringentorum virorum, tum quos æs alienum oppreſſerat, aut rerum inopia, aut animi mœror, huic numero vidit adiunctos fratres, & vtrumque parentem. Quid enim conſanguineis, aut parentibus tutum eſſe poterat, quamdiu in iſtum ſæuiret

Saül? Penetrandum porrò fuit in opacum montem ſolitudinis Ziph, deinde ad petram deſerti Maon. Et hîc comprehenſus erat Dauid toto illum exercitu Saül cingente, niſi monitus Rex, in Philiſtæos arma vertiſſet, quos acceperat infudiſſe ſe regno. A deſerto Maon ad Engaddi compellitur Dauid. Intra ſpeluncam latens. Regi ingreſſo poterat vitam eripere, ſed manum à cæde abſtinens, chlamydis oram tantùm abſcindit, vt ex veſte acciſa, quid licuiſſet in corpus, Rex intelligeret. Et intellexit, cum ait: *Iuſtior tu es, fili mi, quàm ego: Tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* Nec deſtitit Saül tam de ſe bene meritum inſequi, & illius inſidiari vitæ, cui ſuam debuerat. Iterum ergo in colle Achille inſtat Saül, & hîc dormienti haſta, & ſcyphus aufertur à Dauide; potuit & caput Regis, niſi maluiſſet acceptas iniurias reuerentia Maieſtatis obruere.

Prælia Dauidis profugi.

CAPVT VI.

QVis ſperet profugum hominem, & extorrem debellaturum tamen hoſtes Populi? Quis credat Vrbem illum obſidione ſoluiſſe, qui vix perſequentium manibus elabi poterat? Bis tamen licuit

Ex c. 23. lib. 1. Reg.

Digitized by Google

Philiſtæos, & ſemel Amalecitas expugnare. Tribunus mille virorum inſtitutus à Rege ducentis pręputiis Philiſtinorum (centum dumtaxat petierat Rex) filiam Regis Michol obtinet. Nuntiatum eſt Dauidi oppugnari Ceïlam à Philiſtæis, & deprædationibus cuncta vaſtari. Ille cum ſuis (ſexcenti fere erant) impetum facit, & ne temerè faciat, bis conſulto, & probante Deo cæduntur paſſim hoſtes, abiguntur prædatores. Vrbs Ceïla defenditur. At erga ingratos ſe collocaſſe beneficium intelligit Dauid, vbi audit Oraculum Dei, *Tradent te viri Ceïlæ in manus Saül*, & eos ſibi perniciem moliri à quibus ipſe fortiter depulerat. Datâ ipſi ab Rege Achis Vrbe Siceleg, quam cum ſuis incoleret, præda ſæpe onuſtus Amalecitas, & conterminas gentes duris vrget prælíis. Ipſi viciſſim ab Auſtro irrumpunt in Siceleg & de Vrbe ſuccenſâ captiuas abducunt cum filiis matres. Incautos com-
Ex c. 30. prehendit Dauid, excutit prædam omnem de manibus, acclamante exercitu, *Hæc eſt præda Dauid.* Hic, vetantibus qui venerant ad prælium, ne prædæ quidquam contingerent qui ad ſarcinas manſerant, quaſi legem conſtituit, vt æqua eſſet pars deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas.

Bellum Philiſtæum quintum.

CAPVT VII.

ITerum coacto ingenti exercitu inſurgunt Philiſtæi quaſi perpetui hoſtes Reipublicæ Hebreæ, vt ſupremum ſi poſſint funus comparent. In prima acie Satrapæ Ductores incedunt, poſtremam tenet cum Dauide Rex Achis. Hic illius Achis filius apud quem anteà loco profugii periculum adierat Dauid, & niſi mentitus eſſet inſanum & amentem vt eiiceretur ex aula, vitam ipſam cum prudentia amiſerat, ſic nunquam prudentior, quàm cum ſtultior apparuit. Aliquantò poſt apud filium Regem venit vt tandem exilio errores ſuos finiat in externo Regno. Expertus Dauid quamdiu inter ſuos erraret, creare illis vel perniciem vel fugam vel metum, memor interfectum Abimelech cum cæteris Sacerdotibus & Nobe Ciuitatem percuſſam Saülis gladio, quod in eam transfugerat, maluit extorris agere etiam inter hoſtes quàm apud ſuos diuertere cum ſuorum noxa. Non placuit Satrapis comes Dauid ad hoc bellum, ſuſpecta viſa eſt peregrini hominis manus præſertim contra Hebræos pugnaturi. *Non aſcendet*, inquiunt, *nobiſcum ad prælium, ne fiat nobis aduerſarius cum præliari cœpe-*

Ex c. 28. vſque ad 31. lib. 1. Reg.

Digitized by Google

Philiſtæos, & ſemel Amalecitas expugnare. Tribunus mille virorum inſtitutus à Rege ducentis prçputiis Philiſtinorum (centum dumtaxat petierat Rex) filiam Regis Michol obtinet. Nuntiatum eſt Dauidi oppugnari Ceïlam à Philiſtæis, & deprædationibus cuncta vaſtari. Ille cum ſuis (ſexcenti fere erant) impetum facit, & ne temerè faciat, bis conſulto, & probante Deo cæduntur paſſim hoſtes, abiguntur prædatores. Vrbs Ceïla defenditur. At erga ingratos ſe collocaſſe beneficium intelligit Dauid, vbi audit Oraculum Dei, *Tradent te viri Ceïla in manus Saül*, & eos ſibi perniciem moliri à quibus ipſe fortiter depulerat. Datâ ipſi ab Rege Achis Vrbe Siceleg, quam cum ſuis incoleret, præda ſæpe onuſtus Amalecitas, & conterminas gentes duris vrget præliis. Ipſi viciſſim ab Auſtro irrumpunt in Siceleg & de Vrbe ſuccenſâ captiuas abducunt cum filiis matres. Incautos com-
Ex c. 30. prehendit Dauid, excutit prædam omnem de manibus, acclamante exercitu, *Hæc eſt præda Dauid.* Hic, vetantibus qui venerant ad prælium, ne prædæ quidquam contingerent qui ad ſarcinas manſerant, quaſi legem conſtituit, vt æqua eſſet pars deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas.

Digitized by Google

Bellum Philiſtæum quintum.

CAPVT VII.

ITerum coacto ingenti exercitu inſurgunt Philiſtæi quaſi perpetui hoſtes Reipublicæ Hebreæ, vt ſupremum ſi poſſint funus comparent. In prima acie Satrapæ Ductores incedunt, poſtremam tenet cum Dauide Rex Achis. Hic illius Achis filius apud quem anteà loco profugii periculum adierat Dauid, & niſi mentitus eſſet inſanum & amentem vt eiiceretur ex aula, vitam ipſam cum prudentia amiſerat, ſic nunquam prudentior, quàm cum ſtultior apparuit. Aliquantò poſt apud filium Regem venit vt tandem exilio errores ſuos finiat in externo Regno. Expertus Dauid quamdiu inter ſuos erraret, creare illis vel perniciem vel fugam vel metum, memor interfectum Abimelech cum cæteris Sacerdotibus & Nobe Ciuitatem percuſſam Saülis gladio, quod in eam transfugerat, maluit extorris agere etiam inter hoſtes quàm apud ſuos diuertere cum ſuorum noxa. Non placuit Satrapis comes Dauid ad hoc bellum, ſuſpecta viſa eſt peregrini hominis manus præſertim contra Hebræos pugnaturi. *Non aſcendet*, inquiunt, *nobiſcum ad prælium, ne fiat nobis aduerſarius cum præliari cœpe-*

Exc. 28. vſque ad 31. lib. 1. Reg.

Digitized by Google

rimus. Sublato igitur Dauide de pugnatorum numero, ſoli Philiſtæi certamen ineunt cum Rege Saüle, tota in illum vi & quaſi mole prælii irruunt, pulſo exercitu fuſoque cæditur Ionathas & reliqui præter Isboſeth Regis filii. Rex ipſe toto corpore ſaucius incumbens gladio propriâ manu occumbit nolente armigero vel non audente Regem etiam expirantem conficere. Hanc illi miſeram necem Samuel defunctus prædixerat Verum an fictum illum ſtiterit coram Rege Saga mulier incertum eſt. Victori Philiſtæo & oppida trans Iordanem relicta & ſpolia conceſſa de victis. Pręciſum Regis caput velut trophæum circumlatum cum armis ad probrum Hebræi nominis, corpus in muro Bethſan ſuſpenſum, arma templo affixa vt nobiliùs ſic appereant. Hac victoris contumeliâ offenſi viri Iabes Galaad, de nocte cadauer Regis & filiorum auferunt & cremata Regali luxu ac luctu ſepeliunt. Iuſſit pietas ſic parentare Regi, quo nec vulgus ſupremo funere priuari ſolet.

Anacephalæoſis.

A Dauide Rege ad tranſmigrationem vſque tertia ætas Hebræi populi cenſenda eſt; in qua & proſperis florens & aduerſis rebus probatus iuuenile robur exercuit & quaſi vir effectus eſt, pati æque ac facere fortiter edoctus. Centum fere annis Dauide præſer-

Digitized by Google

tim & Salomone Regibus tum pace tum bello ſic effloruit tantis auctus opibus, tantâ nominis famâ inſignis vt nihil addi poſſe videretur, vel ad rerum bellicarum decus, vel ad pacis tranquillitatem, vel ad opes ac ſuperbiam Regni, vel ad nominis claritudinem. Tantum bello profecit, vt Philiſtæos, Ammonitas, Idumæos, Moabitas, Syros quoque etiam tributo impoſito ditioni ſuæ adiecerit. Quanta pacis ſecuritas; quando vnuſquiſque ſub vite ſua, aut ficu, ſicut in munitiſſima turri habitabat? Quid ditius, quid magnificentius cum tanta eſſet copia argenti in Hieruſalem, quanta & lapidum & Sycomoros cedri æquarent? Quæ fama, quale Hebræum nomen: cum ab extremo orbe Regina ſtupens aduenerit & cunctæ Gentes horrerent? At vbi ex opibus ad luxum & vitia delapſus eſt, quot ærumnis grauatus, quot cladibus attritus iacuit? Primùm ſcindi in partes, tum deinde comminui bellis externis, denique ſpoliari & dignitate ſuâ excidiſſe viſus eſt. Nec alia requies malorum aut meta, quàm è patrio ſolo transferri in hoſtiles terras, vbi Hebreæ magnitudinis vix vmbra relicta ſit.

Bellum Dauidis & Isboſeth filii Saülis.

CAPVT VIII.

Lib. 2. Reg. c. 2. QVaſi non ſufficerent hoſtes vireſque externæ quibus extingui poſſet vix naſcens Hebræorum imperium, arma etiam ciuilia, proh pudor? mouenda fuerunt, vt citiùs & efficaciùs interiret. Et actum de illo erat, niſi Regnorum arbiter tantò iſtud firmiùs ſtatuiſſet, quantò magis in ruinam nutauerat. Extincto Saül & Ionathâ (quos deflere & ornare laudibus non piguit Dauidem) & cæteris occiſis liberis, reliquus erat Isboſeth quem Abner circumductum per caſtra Regem conſtituit toto fere Regni tractu (quippe Dauid Domum Iuda authore Deo inſederat.) Ille puer adhuc Rex inunctus inter fratres, nunc vir ſecundò in Hebron à viris Iuda vngitur ac ſalutatur. Verùm, *Lib. 1. Paral. cap. 12.* ſicut duo ſoles vnus orbis non capit, ita nec vnum duos Reges Imperium: alter vt alterum exturbet, ab vtroque arma rapiuntur, & multos vt vnicus regnet, gladio cadere neceſſe eſt. Itaque primùm duodecim hinc inde Ephœbis belli ciuilis præludium & quaſi ſors prima committitur, tum à ſingulis iſtis, à ſe inuicem cæſis ad commune & maius prælium venitur; pellitur in fugam Abner Duce Moab,

& fugientem inſequi non ceſſat Abiſai germanus Ioab, donec illum conuerſâ haſtâ percuſſum in inguine confodit Abner. Hic magnam ſuorum cædem è tumulo ſpectans (nam trecenti & ſexaginta ſui iacebant, at decem & nouem omnino ex pueris Dauidis) exclamat ad Ioab & pacem petit. *Num*, inquit, *vſque ad internecionem mucro deſæuiet? an ignoras quod periculoſa ſit deſperatio? vſquequo non dicis populo vt omittat perſequi fratres ſuos?* Abſtinuit prælio Ioab, & ſuadente ipſo ſole qui occiderat, & amore pacis hortante. Hoc primo certamine ſuperior Dauid, ipſo Abner fœdus & amicitiam ambiente, tandem in omnes Tribus poteſtatem accipit cum Michol vxore. Hinc magni lætitia epuli, hinc fœdus Abneris cum Dauide, & vtinam cum Ioab, qui ſeorſim dolo adductum & incautum iugulat, nec tam fratris Aſahel necem vlciſcitur *Lib. 3. Reg. c. 2.* quàm Regis in ſe iram ac maledicta acceſſit. Sepultus eſt Abner tanto populi luctu ac planctu Regis, vt nunquam in ſuſpicionem venerit tam deteſtatæ ab illo necis Nec minor in domo Saülis comploratio auditâ illius morte, in quo vno tota regni cura recumbebat & ſalus. Mox coniuratio duorum militiæ principum aduerſus Isboſeth, deinde interfectio, ac demum totius regni Benjamin ad Dauidem tranſlatio. Crediderant iſti (vocabantur autem Rhecab & Baana) placiturum Regi allatum caput Isboſeth, ſed iuſtiſſimus Dauid impios homicidas truci- *Cap 14.*

dari continuo iubet, præciſaſque eorum manus & pedes pendere in piſcina Hebron, vt à iuſtitia, magni Regni inchoaret exordium.

Bellum in Iebuſæos & Philiſtæos.

CAPVT IX.

QVid proderat in vniuerſum Iſraël dominari Dauidem, niſi caput Regni Hieruſalem ſedes quoque illius foret? Obſtabat Iebuſæus, qui tunc illam incolebat, tollendi etiam erant cæci & claudi ſi fortè prohiberent ingreſſum, confiſi fortiſſimis manibus, propoſitum præmium qui prior feciſſet impetum colle aſcenſo, primus ille Ioab fit Princeps militiæ. Arcem Sion occupat Dauid; & ideo de illius nomine dicta Ciuitas & in ea Regni ſedes ædificata ex lignis cedrinis, quæ plurima miſit Tyri Rex Hiram cum artificibus; ſublati de medio cæci & claudi, vt poſthac liberè & impunè regnaret. Audiit Philiſtæus Dauidem ex profugo Regem & nuper ex hoſpite nunc hoſtem factum, & mox armati ad necem quærunt. At contra accidit. Illos Rex nouus diuino incitus Oraculo in Baalphariſim ita in fugam vertit ac diſſipat vt verè dixerit, *Diuiſit Dominus inimicos meos ſicut diuiduntur aquæ.* Iterum illi maioribus inſtant copiis, iterum Dauid Deo in cacumine Py-

Lib. 2. Reg. c. 5.

Paral. 1. cap. 14.

rorum inſonante ad terrorem hoſtium tam feliciter conterit vt paucis relictus ſit fugiendi locus.

Bellum in Philiſtæos, Moabitas Idumæos & Syros.

CAPVT X.

TAndem aliquando ſeruit Hebræo Philiſtæus, qui centum ferè per annos ſeruitute populum Dei oppreſſerat. Nono prælio debellatus à Rege tributo velut equus lupato frænatur. Pari ſorte Moabita mulctatur & fortè vulgo excepto principes viri cum Rege Moab interfici iubentur. Et ſic parentum ſuorum, quos Rex Moab occiderat, placuit filio necem vlciſci. Præterea in Regem Soba Adadezer, quodã velut igne excurrente victoriâ capti mille ſeptingenti currus, & viginti millia peditum. Subneruati quoque præter centum omnes equi curruum. Et quia præſidium Regi attulerat Soba, præſidium ipſa accepit in pœnam, id eſt arcium cuſtodes, & vectigalis Regi Dauidi facta eſt. Poſtremo de Idumæa triumphatum eſt, vt non modo Syri ſed etiam Idumæi cognomen obtineret Dauid, & longè latéque huius terror cum nomine ſpargeretur. *Lib. 2. Reg. c. 8.* *Paral. l. 1. c. 18.*

Digitized by Google

Bellum Ammoniticum tertium.

CAPVT XI.

Lib. 2. *Reg.c.*10.

BElla omnia ſua confecerat Dauid, poſtquam ſubactâ Syriâ & debellatâ Idumæâ, imperii ſui fines protulerat. Et Moabitis recens in iugum miſſis, quæ gens finitima hoſtis in Regem inſurgeret? Inſurrexit Ammon, & contumeliâ excitatum hoc tertium bellum ſolo Regni Ammonitici excidio velut aquâ incendium reſtingui potuit. In locum defuncti Regis Naas, de Dauide bene meriti ſubierat Anon. Ad hunc conſolatores mittit Dauid, id officii peſſime interpretati principes Ammon, exploratores iudicant. Id ita eſſe male perſuaſus Rex turpiter Legatos dimittit, abraſâ dimidiâ parte barbæ & præciſis ad nates vſque veſtibus. Quanta hæc viſa iniuria? ad quam iuſtè vindicandam ſerrati ſunt per medium principes Ammon, circumacta ſuper populum ferrata carpenta & cultris quaſi lateres diuiſi per medium ſinguli, vt ſic abraſos Legatorum pilos, totius corporis ſectio expiaret. Quid vero profuit conuocaſſe vel mercede conduxiſſe Syrorum auxilia, prætereà Regis Maacha & Regis Hiſtob, niſi vt ornatius triumpharet Ioab cum fratre Abiſai, maioribus co-

Paral. 1. *cap.* 19.

piis vel fuſis vel cæſis? vix enim inſonante buccinâ commiſſum eſt prælium, & ecce bis auerſi retro Syri, trucidati ſeptingenti currus & quadraginta millia equitum. Ipſe Sobach militiæ Princeps percuſſus Dauidis manu interiit. Denique pulſæ in fugam auxiliares Regum copiæ ad quinquaginta & octo millia, & nouo tributo mulctata Syriæ ſocietas cum filiis Ammon. Totâ deinceps vi belli conuerſâ in obſidionem Rabba (hæc erat Vrbs Regia Ammonitarum,) diùque alternante victoriâ, tandem vi capta eſt Ciuitas. Data illa in direptionem militi, multa tamen aſportata in Hieruſalem præda, impoſitum Dauidis capiti Diadema Regis Ammon auro gemmiſque irradians, vt ſe cunctorum hoſtium victorem & maximi imperii Dominum intelligeret.

Coniuratio Abſalonis in patrem.

CAPVT XII.

ABſalonem regnandi primùm inſana cupido, deinde paterna ſeueritas in pœnam occiſi fratris Ammon, quæ diu illum ab aula ſepoſuerat, ipſa etiam vltio diuina quæ Bethſabee illicitum torum & necem Vriæ Coniugis digno vrgebat ſupplicio, ſimul occaſio pacis quo regnum florebat, adduxere in hoc

Lib. 2. c. 13. & 14. l. 2. Reg. c. 11. 12.

Digitized by Google

immane conſilium, vt patriam perderet, patrem vitâ, regnum Rege orbaret, & quidquid nec olim Pharao Hebræis optaſſet. Quantâ hoc ſcelus affectatione? nam ſedens ad portam venientes ad Regem prehenſabat, oſculabatur, iudicem populi ſe ferens, ſollicitatis omnium ad defectionem animis. Quibus ſociis? quando ipſe Achitophel Conſilarius Regis, quem quaſi ſi quis conſuleret Deum, & Amaſa Regis Nepos & cum illo flos inclitæ iuuentutis & robur militiæ, cunctæ demum Tribus per vim aliæ, aliæ ſponte coniurauerant. Locus coniurationis Hebron, vt vnde Pater Regnum auſpicatus erat, hinc filius ſibi vſurparet. Pacta omnium iure iurando fides, vt impietati ipſa quoque Religio ſeruiret. Ex Hebron in vrbem Hieruſalem traductus coniuratorum exercitus vt mox arcem teneret Imperii, qui ius omne regnandi cauſâ violauerat. Non expectato filii aduentu; *ne fortè*, inquit, *veniens occupet nos & impellat ſuper nos ruinam*, feſtinat, Vrbe, domo egredi, & pedibus etiam nudis non iam vt Rex, ſed vt priuatus incedens torrentem Cedron tranſgreditur. Procedunt primæ legiones Phelethi & Cerethi, & ſexcenti Gethæi pugnatores validi: tum Sadoch ſacerdos & vniuerſi Leuitæ portantes Arcam fœderis quocumque Rex tenderet. Placuit tamen ferri Arcam in Vrbem, dum conſcenſo cliuo oliuarum & adorato Nu-

Cap. 19.

mine quid agendum foret flens tacituſque Dauid decerneret. Interim quo furoris æſtu ingreſſus eſt vrbem Abſalon? more fulminis in obuia quæque bacchantis. Totam mox Regiam inceſto concubitu fœdat, decem concubinis patris, quas abiens domi reliquerat, illato ſtupro, ô inauditum facinus! Ita perſuaſerat irâ incenſus Achitophel, vt cum audierit omnis Iſraël, inquit, quod fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. Actum erat de Rege & de florentiſſimo regno, niſi in manus Chuſai Arachitæ tam fœda coniuratio incidiſſet. Hic hortante Rege mentitus ſeruum & amicum Abſalonis, conſilio ſuo moratur ac detinet, ne vt ſuaſerat Achitophel facto ipſa de nocte impetu Regem populumque defeſſum torrentis inſtar abſorbeat. Indicato Regi conſilio Achitophel, trans Iordanem egreſſus inſtruitur exercitus. Ductores hinc Ethæi Gethæus Princeps, illinc Ioab & Abiſaï. Locus certaminis ſaltus Ephraim qui plures hoſtium conſumpſit quàm gladius. Poſt viginti millia coniuratorum cæſa, Abſalon mulo fugam præcipitat. Ingreſſus ſyluam, ſubter condenſam quercum ita illi capillis hæſit, vt prætereunte mulo, ſolus ab infauſta penderet arbore. Nemo illum confodere lancea, quia filium Regis auſus eſt, deinde mandauerat Rex: *Seruate mihi puerum Abſalon.* Vnus Ioab negle- *cap. 19.*
cto Regis imperio tribus lanceis foſſum populo lapidandum proiecit in foueam.

Digitized by Google

Hic exitus, hæc pœna parricidæ. Mortuo Abſalone, mox populo pax conceſſa & repreſſi gladii. Sed verſa eſt in luctum victoria, dum Rex immodico planctu identidem lamentatur, *fili mi Abſalon, Abſalon fili mi, quis mihi tribuat, vt moriar pro te?* Tandem poſt defletum qui nihil deflendus erat, reducitur domum Rex, reliquo exercitu Abſalonis proſequente, vt quia locus erat Regis clementiæ erga perduelles, ita horum pœnitentia victorem non lateret.

Seditio Seba aduerſus Dauidem.

CAPVT XIII.

DVce Sebâ filio Bochri ex ſtirpe Saül magna rurſus pars populi ciuile aliquod bellum agitat. Furorem auget prioris defectionis impunitas, & noua Regis conſternatio. Dixerat ille Abiſai: *Nunc magis afflicturus eſt nos Seba, quàm Abſalon.* Hoc tamen bellum citiùs oppreſſum eſt quàm inciperet. Vix Sebam inſecutus Ioab in Abela Vrbe concluſum oppugnauerat, & mox tradito illius capite, obſidio Vrbis ſoluta eſt, & ex ſapientis matronæ quaſi quodam oraculo vnius capite redimi potuit cæterorum ſalus. Huius victoriæ laudem Ioab totam labefactat illatâ nece principi

2. Reg. cap. 20.

Amaſæ. Victor hic tot populorum, ęquatum ſibi non ſuſtinuit Amaſam, & victus ipſe tandem aulicæ inuidiæ ſuccubuit. Nam de Amaſa dictum eſt poſt necem, *ecce qui eſſe voluit comes Dauid pro Ioab.*

Poſtrema bella Regis Dauidis.

CAPVT XIV.

IAm Regem emeritæ militiæ ceſſare in bella oportuit præſertim grandæuum; adhuc tamen quaſi ſupremo impetu cum Philiſtæis rebellantibus congreditur Dauid. Triplex illi ſeni prælium cum Gigantibus Ieſbibenob, Zephi (tertii nomen latet:) primum ipſe Rex certamen confecit & quia niſi accurriſſet Abiſai & Regi fuiſſet pro clypeo, percuſſus in acie ceciderat; ad duo alia non permiſſus eſt adire certamina; nam ſerui iurati dixerant. *Iam non egredieris nobiſcum ne extinguas lucernam in Iſraël.* Victi Gigantes, citiùs virorum monſtra quàm, viri quorum ille haſtam vibrabat cuius ſerrum ad trecentas vncias; illi ſeni in manibus pedibuſque digiti vltra humanam formam, vt qui illos vicerat, pluſquam homines viciſſe crederetur.

2. Reg. cap. 21.

Paral. cap. 20,

Regnum pacificum Salomonis.

CAPVT XV.

Reg: 3. cap. 1. 2. 3. 4. &c.

HIc finis armorum, deinceps quadraginta in annos pacis otia & ſecuritas, obediente Salomoni omni populo tum Hebræo, tum alienigenâ quem Dauid ſub iugum miſerat. Quid vero ad Dauidis gloriæ cumulum adjici potuit, quàm vt regnantem cerneret hæredem regni, priuſquam è viuis ipſe migraret? Affectauit hunc gradum ſecundus natu Adonias: iam ſibi currum & equites ad imperium præſtruxerat, iam inſtituta conuiuia, quibus ſibi viros Iuda ineſcaret & dicerent, *Viuat Rex Adonias*, ſed clanculum ſtudio matris Bethſabee & Nathan Prophetæ Rex Salomon inſtituitur, poſteà in Gihon mulæ inſidens adducitur acclamante vniuersâ Tribu Iuda, exceptis quotquot in ſuas partes adduxerat Adonias. Hic orare pacem & vitam à nouo Rege cogitur, qui eductum à cornu altaris quò pallens confugerat, domi ſecurum viuere paſſus eſt, & frater amari maluit quàm victor timeri. Igitur inſtituto tandem hærede regni, affixis cruci ſeptem viris de ſtirpe Saül ad cædis Gabaoniticæ piaculum (quippe hoc vno remedio triennem in populo famem depelli poſſe docuerat

Oraculum) propitiato item Deo, (qui ob recenſitum populum ſeptuaginta millia immiſsâ tabe peremerat) ac demum imperatâ nece Ioab & Semeï, moritur Dauid quadrageſimo regni anno, poſtquam ſeptem in Hebron, & triginta tres in Hierusalem annos regnauerat. Dictus eſt à Deo datus, eò quod ipſum Deus Regem non hominum ſuffragia dederant. Sed neſcio triumphis ille ſuis frequentibus quàm longâ pace, filius glorioſior ſit habendus. Plus hic populorum frænauit, plus attriuit Regum non armis, ſed ſapientiæ illius famâ, quâ ſibi à Deo conceſsâ, vti poſtulauerat, cęteros retro Reges antecelluit & par ipſi nunquam fortè futurus aliquis. Patuit rarum hoc prudentiæ lumen, quando altercantibus geminis meretricibus de puero vtrius eſſet: (nam ſicut ſuum vera mater profitebatur, ita altera quæ ſuo extincto alienum ſuppoſuerat, impudens affirmabat) *Afferte*, Rex inquit, *mihi gladium & diuidite infantem viuum in duas partes*, iudicauit. ô ſapientiam incredibilem! eam eſſe matrem quæ puerum diuidi non eſt paſſa, ſucclamante alterâ; diuidatur. Quanta huius ſapientiæ fama quam vt audiret Regina Saba ab extremo oriente venit Hieruſalem, nec tam cæca profert ænigmata, quæ non diſſoluat facilè Salomon, nec tot auri argentique defert pondera, gemmas, aromata, quæ non exuperent Regis opes immenſæ. Tantum in cibo Regio luxum, tot ordines

videt in aula famulantium, tot tamque pingues hecatombes in templo, tantam præſertim ſuſpicit rerum omnium diſciplinam ab hyſſopo ad cedrum, vt quaſi deficiente præ ſtupore animo dicat. *Maior ſapientia tua & opera tua quàm rumor quem audiui, beati viri tui qui audiunt ſapientiam tuam.* Quis Templi à Salomone ædificati magnificentiam ſatis iactauerit? ô locupletiſſimam ædem, cuius parietes ex dolatis lapidibus nullo ſtrepitu mallei aut ſecuris compacti, & veſtiti omnes cedro, cuius pauimentum abiete tectum, cuius vaſa & inſtrumenta affabre facta, candelabra, lucernæ, forcipes, hydrię, fuſcinulæ, phialæ, mortariola, præſertim menſa & altare! Quàm ſanctus ac verendus hic locus, quem Dei Maieſtas implet, in quo vota & preces populi, ſacrificia & cantica ſacerdotum, manubiæ denique victoris exercitus. Quid de Regalibus tectis dicam, tum Regis tum Reginæ, hoc eſt filiæ Pharaonis, in quibus dubium eſt an artem materia ſuperauerit, an materia arti deceſſerit? Hæc tanta ad Dei cultum artis opera & ſingulare lumen ſapientiæ nunc quoque admiranda forent, niſi mulierum amor & profanus Deorum cultus ſapientiam & religionem omnem ex animo excuſſiſſent. Mirum eſt quod ille deſipuerit ſenex, qui iuuenis ſupra mortales ſapiebat, & qui tam piè de Deo ſenſerat, prophanis Numinibus etiam phana ſubſtruxerit. Quantum hæc

in

in ſcelera indignatus eſt Deus? Teſtantur tres in Salomonem concitati hoſtes. Primus Adad Idumæus, deinde Razan Rex Syriæ, poſtremò Hieroboam. Idumæam Adad ſocio Razan vi capit, ſicut hic conſpirante Adad Syriæ Regnum inuaſerat. De Regno totius Iſraël, id eſt decem Tribuum occupando aleam iecerat Hieroboam, & ex ſeruo Dominus fieri ardebat, niſi quæſitus ad necem, & fugere in Ægyptum compulſus praua conſilia ad obitum vſque Salomonis diſtuliſſet.

Diuiſio Regni Iſraël ſub Rege Roboam.

CAPVT XVI.

MOrtuo Salomone poſt quadrageſimum regni pacatiſſimi annum, ecce recrudeſcunt bella, & quod pudet dicere, etiam ciuilia. Hæc velut ignis cinere opertus rurſus exæſtuant, hiſque viam pandit regnandi cupidiſſimus Hieroboam, Deo etiam ad audendum inſtigante. Regem illum fore decem Tribuum Iſraël vaticinatus erat Ahias Silonites, & ad id apertè ſignificandum pallium nouum decem in partes diſciderat. Præterea ex duro Regis Roboam imperio rebellandi nata occaſio. Rogatus Rex imminui tributa & à Patre impoſi- *3. Reg. cap. 12.*

tum iugum ſupprimi, ſpreto ſeniorum conſilio, ex iuuenum ſententia reſpondet indigna Rege: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.* His auditis rebellat populus, & mox creato in Regem Hieroboam, decem Tribus à ſuo Rege deficiunt. (Hoc illi portenderant traditæ in manus decem pallii ſciſſuræ) Sola Tribus Iuda, & Benjamin principem ſuum ambiunt, &

2. Paral. cap. 10. ex centum octoginta mille viris conflata agmina recipere partem regni feſtinant: ſed properantem ad pugnam exercitum inhibet Deus, *Non bellabitis*, inquit, *contra fratres veſtros.* Reuerſus vnuſquiſque domum ex Dei præcepto abſtinet manum à prælio, aſſiduis tamen licèt exiguis bellis dimicatum eſt ęmulatione quadam, & ſimultate imperii, vt deinceps vno in regno duo Reges velut inter ſe pugnauerint.

Bellum Ægyptium primum aduerſus Roboam.

CAPVT XVII.

2. Paral. cap. 21. PEccauerat cum populo Roboam, & relicto Dei cultu ad Idola deflexerat. Miſſus in vltionem Seſac Rex Ægypti, tamen poſt munitiſſimas in Iuda captas Vrbes regreditur ab Hieruſalem, ſublatiſque theſauris templi ac

Regiæ, præſertim clypeis aureis, in quorum vicem ſuffecti æ nei, ſpoliatam, & ſeruientem ſibi Vrbem deſerit, quam mille ducentis curribus, & ſexaginta mille equitibus expugnare potuit, niſi vetuiſſet Deus, qui dixerat, *Quia humiliati ſunt, non ſtillabit furor meus ſuper Hieruſalem, veruntamen ſeruient Seſac, vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ, & ſeruitutis regni terrarum.* 3. Reg, cap. 14.

Bellum Ciuile primum ſub Rege Abia.

CAPVT XVIII.

HIc Paterni regni heres, & hoſtilis odii in Hieroboam, licèt primùm detrectet pugnam, ne ſe inuicem comminuant populi, tandem vbi videt ſe Regis Iſraël circumuentum exercitu, inuocato Deo, ac præcinentibus ſacerdotum tubis audax prælium ingreditur, ſimul addito ad clamorem militum terrore Dei quinquaginta millia virorum fortium Iſraël vulnerati occumbunt, cæteri cum Hieroboam pulſi in fugam vix effugiunt inſequentem Abiam. Hic victor vicina oppida Bethel, & Ephron iure belli occupat. Dignus hac ſuorum clade Rex Iſraël, & totius fere regni excidio, qui vitulos aureos vnum in Bethel, alterum in vrbe Dan colendos

3. Reg. cap. 15.

2. Par. cap. 13.

Digitized by Google

poſuerat, ne populus adiens Templum Hieruſalem principi ſuo, & quaſi poſtliminio rediret. Sed vanâ ſuperſtitione id tandem perfecit, vt ſimul cum Religione felicitatem regni cum filio amiſerit.

Bellum Æthiopicum ſub Rege Aſa.

CAPVT XIX.

DEcem annos pacis initia regni Aſa habuere, poſt defunctum patrem Abiam. Hoc diuino munere præmianda fuit huius Regis pietas ac Religio. *2. Par. c. 14.* Quippe curæ illi fuerat cultum omnem profanum expungere, aras ſubuertere, confringere ſtatuas, lucoſque ſuccidere, & quidquid olim religioſiſſimi Moyſes & Ioſue fecere; quin etiam ſaluâ matris reuerentiâ Priapi ſimulachrum, cuius illa turpiſſimo cultui præerat, in fruſta comminuit, & in fauillas redactum proiecit in Cedron. Decimo regni exacto anno Zara dux Æthiopum in Iudæam penetrat, velut experimentum facturus Hebrææ virtutis. Quàm timendus hic, cuius exercitus decies centena millia, & currus trecenti? Nunquam vllo loco populus tantùm virium vidit. Sed quantulus hic numerus contra exercitum Dei præliantem. Quippe vel ſolus terror Æthiopas in fugam auertit. Hæc

tam citò populorum quàm aquarum eluuies deriuatione ſiccata eſt. Tot inſuper cæſa hoſtium millia, vt ſæuire gladius in plura non ſuffecerit. Tantæ in Vrbem aſportatæ manubiæ, vt ſpolia totius orbis viderentur.

Bellum ciuile ſecundum ſub Rege Aſa.

CAPVT XX.

ÆThiopum profligato exercitu quid timendum erat Regi Aſa? Timuit tamen Baaſa Regem Iſraël, qui oppidum Rama muro vallauerat, vt ne quis tutò ex Iuda illuc adire poſſet. Quid tum? Proiectâ ſpe Dei Rex Iuda ad Benadab Regem Syriæ confugit, præmiſſoque ingenti munere ſibi conciliat. Ingreſſi Syri terram Iſraël, Ahion, Dan, Abel, & cunctas Vrbes muratas Nephtalim violenti percurrunt. Abſiſtit ab opere ſuo Baaſa, & victori dat manus. Victoriâ exultantem Aſa Regem increpat Anani Propheta de inuocato Syrorum auxilio, quaſi verò qui infinitos prope Lybiæ populos fuderat confiſus in Deo, vt pauciores ſterneret, quærenda fuerint humana auxilia. Indignatus Rex Prophetam in neruum trudi iubet, ſed in pœnam tam indigni ſupplicii, dolore pedum lethali afficitur, vt

3. Reg. c. 5.

2. Paral. 16.

qui vatis pedes in cippo torſerat, torqueretur ipſe in pedibus, & qui in ſolâ medicorum arte ſpes ſuas locauerat, cum ipſis medicamentis periret.

Bella inteſtina Regni Iſraël.

CAPVT XXI.

3. Reg. 16. HOc regnum, ſicut male parta, citò dilapſurum erat, niſi Deo auſpice firmitatem ac robur etiam ab inteſtinis diſſidiis accepiſſet. Extincto Hieroboam regnat filius Nadab. Huic Gebethon Vrbem Philiſtinorum obſidenti inſidiatur Baaſa filius Ahiæ Tribus Iſſachar, denique incautum enecat, totam mox Ieroboam ſtirpem gladio extirpat: ita prædixerat Ahias Silonites. Baaſam excipit filius Hela, ſed admiſſum à Patre homicidium percuſſus à ſeruo ſuo Zambri propriâ nece expiat. Zambri ex ſeruo Rex, ne iterum ſeruiat, & ne veniat in manus Amri, quem Regem exercitus legerat, ſe intra Regiam cum Regia ipſa inflammat. Dehinc in partes ſcinditur Imperium Iſraël. Media pars populi Thebni filium Gineth, media Amri aſſequitur: atque ita diuiſis animis, diuiſi quoque regni ſuprema dies inſtabat, niſi pars vna viciſſet alteram, & ſublato Thebni ſolus regnaſſet Amri in Samaria Vrbe, quam à Gomor duo-

bus talentis emptam exſtruxit, & caput regni eſſe voluit. Huic Achab ſucceſſit, peſſimi Patris peior filius, Tyrannus in populum. Teſtis vinea Naboth, non modò inuito ipſi erepta, ſed ipſe quoque aſtu Iezabel vxoris lapidatus. At præſertim in Deum impius, cuius Religionem cum cultu ſacrilego Baal commutauit; & in Prophetas, vno Eliâ excepto, communi cæde deſæuiit. *cap. 21 3. Reg.*

Bella Ioſaphat & Achab confœderatorum.

CAPVT XXII.

HI duo Reges & regno & animo & religione diſpares, quodam tamen fœdere ſociantur, & iunctis viribus feliciter pugnant, quia vnius pietas impietatem, alterius inumbrat & obruit, ne pernicioſa ſit regno. Quis cultus diuini obſeruantior Ioſaphat Rege Iuda, qui lucos, aras Deorum, & excelſa ſuſtulit de Iuda? Huic quidquid legis proſperè ceſſiſſe, præmium pietatis intellige; ſi quid pariter impio, & ſacrilego Achab, Dei beneficia recognoſce, quæ quantò magis ingratum, tantò miſeriorem fecere. Conceſſa illi de Rege Syriæ inſignis victoria, vt quem nec fames, nec pluuia negata de cœlo à vana ſuperſtitione auerterant, ſaltem triumphus de hoſti-

Paral. c. 17. vſque ad 20.

Reg. 3. c. 20.

Digitized by Google

buſ ad Religionem deferret. Igitur Benadad numero militum ferox Samaritis deditionem imperat. *Hæc faciant*, inquit, *mihi Dii, ſi ſuffecerit pulnis Samariæ pugillis omnis populi qui ſequitur me.* Sed quid ſine Deo numerus? Cogitur Rex Syriæ ab Vrbis obſidione abſtiſtere; & quod prodigii ſimile eſt, ipſi pediſſequi principum Iſraël in principiis caſtrorum collocati, (vt Propheta iuſſerat) præcipites Syros dant in fugam: Rex ipſe vectus equo vix inſequentem Achab præterit, relictâ à tergo magnâ ſuorum manu, quos gladius victoris abſumpſit. Primo prælio victus Benadad, ſequente anno ſecundum inſtaurat, tamen in campeſtribus locis. Dixerant enim Syri ad extenuandam victoriam, *Deus montium eſt Deus eorum, ideo ſuperauerunt nos, & non eſt Deus vallium, idcirco obtinebimus eos in campeſtribus.* Hæc blaſphema verba vlciſcitur Deus, centum millibus peditum intra vnum diem occiſis, cæteros in Vrbem Aphec profugos; id eſt viginti ſeptem millia, muri ruina proſternit, & ibi loco perfugii monumenta inueniunt. Quanto Benadad Regis luctu, quâ rerum deſperatione hæc geſta, vt per ſeruos ſaccis indutos, & appenſis collo funiculis ad clementiam Achab ſupplex confugerit? Pacem illi Rex Iſraël & vitam propriæ vitæ largitur diſpendio. *Ex cap. 22. lib. 3. Reg.* Quippe tertio prælio cum Syris poſt triennes inducias habito, ſagittâ in incertum iactâ transfoditur. Hæſit illa inter

ter pulmonem & ſtomachum & vitam etiam indignanti abrupit. Nec profuit mutatus habitus aut larua vultus, totis hoſtium in Regem intentis arcubus; ſanguinem occiſi Achab linxere auidi canes in pœnam effuſi ſanguinis Naboth vti conteſtatus fuerat vates Helias. Ad hoc certamen venerat affinitate coniunctus Ioſaphat, mox illum Syri facto agmine tantùm non occiderant, quia ſtatim creditus ac viſus eſt Achab, ſed vocatâ Dei ope tanto periculo eductus eſt vt adhuc de Moabitis, de Idumæis ac de filiis Ammon vno certamine triumpharet. Tota latiſſime Regio cadaueribus oppleta, non expectabat gladium militis Ioſaphat, ipſi inter ſe hoſtes mutuis ſe vulneribus concidebant. Hic doluit populus Iuda non inuentos, quos caperet aut feriret. Tanta è caſtris auecta præda tamque varia ſupellex vt exportandæ non ſufficerent iumenta, triduum idcirco in auferendis ſpoliis conſumptum eſt.

Bella Regis Ioram & Ochoſiæ.

CAPVT XXIII.

IN Ioſaphat defuncti locum ſubſtituitur Ioram religioſiſſimi Patris degener filius. Huic rebellat populus Edom, hoc eſt Idumæa, creato ſibi pro arbitrio

Ex cap. 8. lib. 4. Reg.

Nam ſicut domum Ieroboam Baaſa, ita & huius familiam Zambri & Amri pater Achab, quaſi inſtigante Deo, aboleuerant. Ecce tertiò Dominum mutat Imperium Iſrael, & excisâ domo Achab, in ſolio ſedet non Iehu ſuo, ſed ius dat Deus vngendo in Regem & furoris diuini miniſtrum deputat. Poſt Achab, Ochoſiæ filio (& quia hic ſine liberis lapſus per cancellos cænaculi deceſſerat) Ioram fratri tradita poteſtas regnandi. Hunc ſedentem in curru cum Ochoſia Rege Iuda intento arcu ſagittâ transfodit Iehu ſcapulas inter, proiectoque in agrum velut aſelli cadauere, iuxta Dei edictum pariter in Ochoſiam in Samaria latitantem facto impetu prauæ ſocietatis pœnas exercet : præſertim Ieſabel Reginam de feneſtra præcipitem agit. Quid iſti profuit ſtibio pinxiſſe oculos & caput calamiſtro compſiſſe, niſi vt pulchrior facta fœdiori morte occumberet, & data præda canibus, delicatiùs illi veſcerentur. Conculcata inſuper equorum vngulis, & iuſſa tumulari, nihil inuentum eſt reſidui præter caluariam & pedes & ſummas manus, cæterum corpus arroſerant canes. Ideo *Haccine eſt illa Ieſabel?* vulgô dicebatur. Occiſis Rege Ioram ac Ieſabel in ſeptuaginta illorum liberos ſæuitum eſt, vt tota funditus ſtirps Achab interiret. Ideo ſeptuaginta virorum capita delata in cophinis ab optimatibus Samariæ. Huc tranſgreſſus Iehu præſertim in

ædem Baal, quam, proiectâ in ignem ſta-
tuâ, in latrinas conuertit, falſo Numini
cunctos Sacerdotes & Prophetas im-
molat. Tali hoſtiâ litandum fuit ne am-
pliùs litaretur. Sic diuinæ vltor iniu-
riæ, veri Dei cultum inſtaurat Nam-
ſiades & impietatem Achab eradit.

Bella Regis Ioas & Amaſiæ filii.

CAPVT XXV.

Ex c. 11. lib. 4. Reg.

INterfecto ab Iehu Ochoſia Rege Iu-
da, mater pro illo regnat Athalia, &
vt impunè & ſola regnet, liberos om-
nes Ochoſiæ filii neci dat, vltra ſexum
ferocior. Ioas lactens adhuc cum nu-
trice ſubducitur (Ioſabeth Ioiadæ Pon-
tificis vxor cauta nepotem abdiderat.)
Hoc furtum non vidit cæca Reginæ
ambitio, at furti ſenſit perniciem.
Nam ſeptimo poſt anno eiecta templo
ad portam equorum impacta terræ oc-
ciſa eſt. Ita Pontifici licuit ſeptennem
puerum diademate inſignire, & vnctum
oleo plebi adorandum ſiſtere. Nihil ho-
ſtile aut ſeditionibus turbidum, quam-
diu pius Ioas magnis ſumptibus ſarta
tecta templi perficit. Mortuo Ioiada,
cuius diſciplina Regem vt diſcipulum
continuerat, mox adulatione princi-
pum delinitus diuinos honores impius
vſurpat. Impii Regis infinitum ferè po-

pulum modicus Syrorum exercitus debellat Deo fretus vltore, nec niſi ingentibus manubiis ſeu templi ſeu Regiæ exportatis abſcedit. Ioam adoratum à ſuis Rex Aſahel deprimit; tandem ſerui coniurant in Dominum, & in domo Mello exanimum relinquunt. In parricidas animaduertit Amaſias per omnia ſimilis Patri, hoc eſt initio pius, ideo triumphator Idumæorum ad viginti millia; poſtremò impius Diis à ſe ſubactæ gentis indecorè ſupplicans. Poſt hac infelix in Bethſames Oppido capitur à Rege Iſrael, qui non patente portâ rupto muro Hieroſolymam ingreſſus quidquid auri argentique aut vaſorum ſiue in Templo ſiue in Regia repertum eſt, ſimul obſides in Samariam transfert. Prouocauerat hunc in certamen Rex Iuda: *Veni*, inquit, *& videamus nos.* Venit ille & vidit & vicit inſolentem. Huius quaſi præſcius victoriæ ſcripſerat Rex Iſrael, *Carduus Libani miſit ad Cedrum quæ eſt in Libano dicens, Da filiam tuam filio meo vxorem, tranſieruntque beſtiæ ſaltus & conculcauerunt Carduum.* Nec ſatis pœnarum dediſſe viſus eſt Amaſias, donec ſuorum coniuratione opprimitur in vrbe Lachis quò fugerat, vt genere mortis, ſicut vitæ moribus Patrem referret. Exc. 146

Digitized by Google

Res geſtæ in regno Iſrael.

CAPVT XXVI.

INterim ordine Regnum Iſrael filii Iehu obtinent. Primus Ioachas decem & ſeptem annos: Secundus Ioas ſexdecim: Tertius Hieroboam quadraginta & vno anno. Poſtremus Zacharias ſex omnino menſes. Hi omnes peſſimi ac profani principes ſuperſtitionis pœnas luerunt. Ioacham Rex Syriæ Aſahel tam frequentibus præliis ſicut puluerem areæ attriuit, vt relicti tantùm fuerint quadraginta equites, decem currus, ac peditum decem millia: Zachariam Sellum filius Iabes percutit gladio & cum illo progeniem Iehu ſolio exturbat. Cum Ioas & cum Hieroboam, proſperè actum eſt, vtique quia minus iſti peccauerant.

Finis Libri tertij.

Digitized by Google

LIBER QVARTVS.

Bella reliquorum Regum Iuda.

CAPVT PRIMVM.

FREQVENS deinceps pugna Hebræorum cum hoſtibus, at rara victoria. Vergente in ſenectam juuentute, & jam inclinato tam viuidæ ætatis robore, quid mirum ſi victos identidem Hebræos legas, & poſthac ab omni ferè hoſte proſtratos? Nunc cernere liceat Ægyptios, Aſſyrios, Philiſtæos, Idumæos, Arabes, & cæteros id genus barbaros in illius gentis velificatos ruinam, nec antè à bellico furore temperaſſe quàm totum Dauidis Imperium vel tributo vel ſeruitute damnaverint; imò (quàm fluxæ res humanæ!) in alias terras eiecerint. Tanti cauſæ excidii, creſcentia in dies vitia populi, & ex nimia felicitate corrupti mores. Quid Salmanaſar, Sennacherib, Nabuchodonoſor & alia dura nomina in terras vel Iuda vel

Iſraël adduxit? nonne continua & pertinax decem tribuum ſuperſtitio? Quid præſertim Babylonios? Nunquid ab Ezechia oſtentati ingentes theſauri & regni Gaza pretioſiſſima? Quid ſanguine etiam Prophetarum vicos Vrbis infecit? Num impotens Regum dominatio & ſuperbiæ proxima crudelitas? Et hæc in ſequentibus bellis tam frequenter obuia, vt mirari liceat non funditus periiſſe gentem Hebræam, ſed quaſi rediuiuam à ſuo funere reſurrexiſſe.

Bella Regis Oziæ *&* Ioathan.

CAPVT II.

Ex c. 15. l. 4. Reg. REgnante Oziâ ſeu Azariâ vel Zachariâ (trinomius fuit) profligato Philiſtæo, Vrbes Geth, Azotum & Iabnia muro ſuo nudantur: Arabes in Gurbaal & Ammonitæ deuicti ſtipendio mulctantur. Hæc proſperè initio regni geſta, terrore nominis Oziæ apud exteros perſonante; quia bonus ac religioſus in Deum. At ex ſecundis rebus elatus & tumens tanquam auitæ paternæque hæres ſuperbiæ adolet incenſum in templo præter fas & morem, nec contentus Regali, etiam Sacerdotum honorem ſibi arrogat. In hoc præſertim offenſus Deus Regem percutit leprâ in fronte. Tum leproſum illum è Tem-

plo iuxta legem ejicit Pontifex, extraque Regiam ſeponit quaſi priuatum: ita qui Regem cum Sacerdote miſcere voluit, ex vtroque faſtigio excidit. Ioathan filius viuente patre ac priuato adminiſter regni ſufficitur; tandem mortuo illo poſſeſſor ac Dominus, de Rege Ammonitarum triumphat. Data illi victori centum argenti talenta, & decem mille cori tritici totidemque hordei. Tam felici Imperio dignus erat optimus Princeps, hoc vno infelix quod peſſimum filium reliquit hæredem.

Bella Regis Achaz.

CAPVT III.

HIc eſt Achaz paternæ religionis deſertor, cultor Dæmonum, contemptor Dei, ita vt in clauſo Salomonis Templo Aras diis gentium & fana toto ferè regno poſuerit. Etiam in pœnam ſcelerum infelix, inops, & populo ſuo inuiſus & execrabilis. Fœderati inter ſe Rex Iſraël Phacee & Raſin Rex Syriæ vires coniungunt aduerſus Achaz. Sed quid tanti, cum vel vnus Rex Iſraël ſufficiat? Quippe vbi retroceſſit Raſin ad ſua tuenda quibus imminebat Theglatphalazar Rex Aſſyriorum, (hunc Achaz miſſis muneribus ſollicitauerat in excidium Syriæ) ſolum bello appetere Re-

Ex c. 16. l. 4. Reg.

Digitized by Google

gem Iſraël audet Rex Iuda, & victoriam præſumit ex impari hoſtium numero; vincitur tamen Achaz, parte vnâ exercitus captiuatâ, alterâ cæsâ gladio. Hanc peſtem Rex amoliri à regno potuit, ſi audito Iſaiâ & deſuper petito ſigno Deum placaſſet. Sed ſpreto Dei auxilio maluit humanum accerſere, & hoc ipſum, deficiente diuino, deeſſe aut irritum eſſe perſenſit. Nam Rex Aſſyriorum poſt occiſum Raſin & vaſtatam Syriam in ipſum Achaz conuertitur, nec niſi totis exhauſtis templi ac Regiæ theſauris relegit iter in Aſſyriam. Itaque relictus inops Achaz, totum videt Imperium Philiſtinorum & Idumæorum patere incurſibus ac prædæ datum. Denique moritur vſque adeò ſuis inuiſus, vt ſepulchro regni priuarint.

Tranſmigratio & finis regni Iſraël.

CAPVT IV.

Ex c. 17. l. 4. Reg. HÆc ad orientem verſus in partibus Iudæ, ad occidentem verò in regno Iſraël peſſimè res ſe habent. Regibus Iſraël ſe aliis alios ſolio trudentibus, & ad cumulum adductis ſceleribus, quid reliquum erat niſi vt aliquando Rex cum populo in alienas terras migraret, ſi fortè animum mutaturus eſſet cum cœlo? Seruiens vterque hoſti, ſpes

erat ſanctior vt tandem fieret, qui regnans & florens peſſimus fuerat. Igitur poſtquam Sellum Zachariæ necem intulit, eodem hic ſcelere poſt menſem necatur à Manahen Gaddi filio. Iſte ab Vrbe Thapſa, quam ingredi deſtinauerat, repulſus, etiam prægnantium ſciſſione portas ſibi occluſas vlciſcitur. Denique quaſi firmando imperio neceſſarium ſæpius aduocat Phul Aſſyriorum Regem, traditis argenti talentis mille ſtipendij loco. Felix iſte qui filium Placeiam non occiſus hæredem ſubſtituit. Placeiam tamen, Placee filius Romeliæ & vitâ & ſolio deſtituit. Ipſe ſimiliter manu Oſee filij Ela transfoditur vt pereat gladio, qui gladio percuſſerit, iam antè bonâ regni parte amiſsâ. Nam Rex Aſſur Theglatphalazar, captâ Galilæâ & terrâ Nephtalim, tres fere Tribus migrare iuſſerat in Aſſyrios. Poſtremus Regum Oſee & propè impietate primus. Captum hunc Salmanaſar annui tributi lege obſtringit, ſed rebellantem Oſee, vocato in ſuam opem Suâ Rege Ægypti, tandiu ferus expugnat, donec vi captâ Samariâ poſt triennem obſidionem & Rege in carcerem miſſo reliquas Tribus in Aſſyriam transfert, & in alieno ſolo collocat, qui patriis ſedibus abutebantur ad ſacrilegia. Inter captiuos inſignis vnus Tobias, tam religioſus in Deum, vt vnicum hunc in ipſa turba Deorum Gentilium coluerit; tam ſanctus, vt

Digitized by Google

pacæcus ex ſimo arundinum factus, patientiæ alterum exemplar euaſerit. Dignus demum quem Raphaël Angelus abſtersâ per piſcis iecur cæcitate perſanauerit; cuius filium comes ſoſpitem ad Medos duxerit, & nobili contraque ſpem fœlici matrimonio junxerit, & mille aliis beneficiis cumulauerit.

Bella & geſta Ezechiæ Regis & ſequentium.

CAPVT V.

Ex c. 18. vſque ad l. 4. Reg.

ITerum ad Iudam conuertimus, relictâ Samariâ, quam ne ſolam & inhoſpitam eſſe ſineret Rex Aſſyriorum adductâ in has terras ſuorum coloniâ, populi Iſraël vacuas Vrbes & ſedes impleuit. Verùm in hos nouos colonos, quia nulli verum Deum colerent emiſſi è ſyluis leones facto impetu vorabant omnes, donec miſſus ſacerdos ex Iſraël, qui ceremonias & legem Dei reponeret. Interim Ezechias paterni ſceptri melior patre curam ſuſceperat. In hunc Sennacherib Rex Aſſyriorum collatis ſignis inuadit, & vno velut torrens impetu cuncta proſternit. Non audet Ezechias cum barbaro cominùs congredi, licet ante debellatis Philiſtæis; procul amandare recogitat trecentis argenti talentis ſponte oblatis. Imò refixis

laminis aureis quas ipſe valuis Templi pius affixerat, religioni ſe tunc præuaricari credidit. Datâ ex pacto pecuniâ, non abſiſtit hoſtis, inſtat propiùs & mœnibus ac portis Vrbis Ieruſalem incubat. Parum eſt quod jam quaſi victis ne dum victor inſultat, niſi etiam blaſphemet in Deum. At non impunè: Tharaca Rex Æthiopiæ Aſſyriam armatus intrat, cogitur Sennacherib redire ad ſuos, ſed muſſans & minis propè quàm plagis truculentior. Nihil territus Ezechias, populum quoque timere prohibet; *Multò plures nobiſcum ſunt, quàm cum illo. Cum illo enim brachium carneum, nobiſcum Deus noſter.* Et mox nocte illâ ab vnico Angelo cæſa iacent centum octoginta quinque millia hoſtium & abſque vulneribus, ô rem miraculi plenam! mors ſæua diſcurrit. Poſterâ luce tam ingenti clade conſpectâ domum reuertitur, & viuere aliquandin ſinitur, teſtis vt fiat Majeſtatis quam ore contempſerat. Reuerſus Niniuen & adorans in Templo Neſroth Deum ſuum, à filiis ſuis Adramelech & Haraſar interficitur. Non dignus qui Angelico periret gladio, parricidio velut hoſtis naturæ mactatur. Hæc inſignia victoriæ & triumphi decora ab inſigni Religione Ezechiæ. Nam paternæ impieratis eraſis veſtigiis, ſucciſis lucis, verſis altaribus, Templum Dei clauſum à Patre reſerauit, Phaſe ſolemni ritu inſtituit, & vt Salomonem pietate, ſic

Digitized by Google

opibus & inclitâ gloriâ æquaſſe dicitur. Nihil tale in filio Manaſſe, in Amon nepote. Hic vterque nullum bellum geſſit, niſi bellum æſtimas, quod multum innoxii ſanguinis fuſum eſt. Teſtis Eſaias auunculus Manaſſe, quem hic ligneâ ſerrâ exſecuit. Placidâ morte Manaſſes, Amon ſicâ per ſeruos ſublatus eſt. Tam vitâ quam poteſtate vterque omnibus oneri fuit.

Bellum Ægyptium ſecundum Rege Ioſia.

Ex c. 22. *lib.* 4. Reg.

TAm crudeli Auo, tam impio parenti ſucceſſit Ioſias mitiſſimus omnium Princeps; purgatum ſuperſtitionis ſordibus Templum & ritè omnia ad Dei cultum digeſta monumenta ſunt eximiæ pietatis. Bellum huic cum Nechao, Rege Ægypti in Aſſyrios ſigna inferente. In ipſo æſtu pugnæ occiſus Ioſias in Magedo ſanctiùs quidem, at non fortiùs potuit Rex tantus occumbere.

Tranſmigratio Babylonis.

CAPVT VI.

Ex c. 23 *lib.* 4. Reg.

ABductis decem Tribubus, reliquæ ambæ Benjamin & Iuda nihil do-

meſtico ſapiunt exemplo. Captiuantur & iſtæ quoque, pares ſicut moribus ita & ſuppliciis. Igitur Rex Ioachaz Ioſiæ minimus natu, quem Regem populus conſtituerat, à Pharaone Nechao reuinctus in Ægyptum expellitur, & ibi priuatus moritur velut obſes captiuandi mox totius populi. In locum Ioachaz, Eliachim maiorem promouet Nechao ac mutato nomine Ioachim nuncupat. Hic tyranno à quo regnum acceperat, libens etiam cum ingenti tributo ſeruit & ſeruus mauult viuere, ne regnet ingratus. Poſt à Nabuchodonoſor expugnatur Pharao, capiturque Syria, & ibatur in regnum Ioakim, niſi annuo ſtipendio contentus victor barbarus abiiſſet. Trienni ſoluto pretio ſeruitium indignatur & rebellat Rex Iuda, rebellantem opprimit totis viribus Rex Babylonis, Templum expilat, interfecti Regis cadauer inhumatum proijcit extra muros & ſepulturâ aſini ſepelitur, vt ante ſcripſerat Hieremias. Ita tamen in Patrem ſæuit Tyrannus, vt Ioachim ſeu Iechoniæ filio Patris tradat Imperium, & hunc paulo poſt obſidione vrgens ad deditionem compellit, veritus ne paternæ necis vltor cum vicinis coniuret, in Regnum Babylonicum. Itaque à ſceptro & à patria amouet. Dedidit ipſe ſeſe Iechonias, ſuadente Hieremiâ & cum matre, vxore, principes, amicos & optimos Ciuitatis; ſuſtinet quoque Babylonem ſe traduci atque in

vincula coniici, quaſi præſcius ſe olim ſoluendum. Patruus Mathathias inte-
Ex c. 24. rim rerum potitur & Sedechias audit impoſito à Tyranno nomine. In hunc poſtremò Chaldæi cum Rege feroces inuolant, vt periurum hominem pactam fidem ſeruare doceant. Primùm Ciuitatem oppugnant, clauſam penetrant, vallatam exſcindunt: inualuerat obſeſſorum fames, vt matres etiam filios epulando, ô rem inauditam! illi ſuccurrerent. Hinc fame, hinc obſidione vrgente, fugit Sedechias & fugam nocte præcipitans, non potuit tamen obſidentes latere. Comprehenſus coram
Ex c. 25. Tyranno ſiſtitur, tum ipſi effodiuntur oculi, necantur coram patre filij, vt tota in illo ſtirps Regia intereat, tandem catenatus Babylonem cæcus abducitur, carceriſque vmbrâ pœnas luit incarcerati Hieremiæ, qui hæc non auditus prænuntiauerat. Tranſlati cum Rege quotquot vel gladio vel fami ſuperfuerant. Relicti in Vrbe vel ſeruitio inutiles vt pueri ac ſenes; vel prædæ faſtidium, vt pauperes; vel certè colendis agris neceſſarii, vt vinitores & agricolæ. His Rex datus Godolias, nullo inſigni regio aut Imperii nomine, quia præeſſe tam paucis & calamitoſis nulla dignitas erat, vt ſicut in Vrbe, Vrbis reliqua tantum erat imago, (hanc enim cum Templo Nabuzardan militiæ Princeps inflammaverat ſolo æquatis per circuitum mœnibus)

Digitized by Google

nibus) ita ipſe vmbram Regiæ Maieſtatis teneret.

Miſſiones & miracula Prophetarum.

CAPVT VII.

VNde tanti, ac florentis regni caſus & ruina? Numquid quia non auditi Prophetæ à Deo miſſi? Nam inter illa præcedentia Regum tempora virtutibus, vitiiſque permixta, imò, ſi verum dicimus, magnis inſigniora criminibus, quanta erga ſuos Reges ſiue iuſtos, ſiue impios cura Dei, ac prouidentia; iſtos vt à profanis arceret cultibus, illos vt in pietate ſtatueret? Quot miſſi ad illos viri, ſeu vates Dei? Quot pronunciata Oracula, quibus obtemperare, tota Regnantium, & Imperii vna hæc erat ſalus. Mittitur Nathan ad Dauidem, & ex parabola, ſeu fabula raptæ ouiculæ veritatem adulterii, deinde ex ore Regio pœnitentiæ vocem, *peccaui*, exprimit. Vtinam ſic ad ſe miſſum audiſſet filius Salomon. Certè nec tam vxorius ſenex fuiſſet, nec ſcindendo regno occaſionem dediſſet. Miſſus alter ad Ieroboam dum thus adolet, quia non auditus, protinus Regi manus exaruit, quæ orante Prophetâ mobilis rurſus effecta eſt. Quid de cæteris dicam, ac præſertim de impiiſſimo Achab? Venit

Ex c. 12. lib. 2. Reg.

Ex c. 13. lib. 3. Reg.

ad hunc Michæas, nec modò non auditur vera pronuntians, ſed in carcerem truditur pane & aquâ cibandus; ſimiliter Elias, cum verbis minacibus etiam monſtra, ſeu miracula addidit, quid aliud egit, quàm vt perſequentem fugeret, aut vitam perderet? Eliæ autem miracula, & aliorum ſuis ſparſa locis in vnum hunc locum cogere placuit, vt ſimul, & citiùs vno tenore continuata permiſceantur.

Miracula Eliæ Prophetæ.

CAPVT VIII.

Exc. 17. 3. Reg. vſque ad c. 2. l. 4

QVis credat virum tam piloſum, & ferinum habitu, vt feræ potiùs quàm hominis figuram reddat; tam egentem, vt eum in Vrbe vidua pauper, corui in deſerto paſcant; tam imbellem, vt vel mulier vna Iezabel in fugam compellat: hic tamen tantæ authoritatis, vt cœlo pluuiam vel imperet, vel prohibeat; vt ignem quaſi vindicem in aduerſarios emittat? Teſtes duo quinquagenarij Regis Ochoſiæ, quos ſubitus ignis extorruit; in ipſam etiam mortem accepto imperio, quo viduæ Sarephtanæ filium vitæ reſtituit. Primùm juſſus omnem è cœlis ſeu rorem, ſeu pluuiam ad tres annos excludere, mirum eſt vt arentibus herbis, paſcuis & cuncta fame

Digitized by Google

depopulante, non ante terris infuſa pluuia, quàm Elias orauerit. Certus hic ſe à Deo exauditum iri in aqua, ſicut priùs in igne holocauſti, victor vltorque magnificus Sacerdotum Baal. Quantus hic, qui vel ex impio, & prope ferreo Achab pœnitentiæ ſigna extorquet cilicium, ſaccum & ieiunium; & tam arduum ſuperbiâ caput humilitate depreſſit? *Nonne vidiſti*, inquit Deus, *humiliatum Achab?* Tam facile huic viro Iordanis aquas pallio ſcindere, & ſicco tranare veſtigio, quàm pedibus planum iter ingredi. Certè tanto ciue indignus erat hic, quem incoluerat mundus. Placuit Deo in meliorem transferre, & ſubito turbine raptum, curruque igneo vectum in fœliciſſimâ ſede collocare iam æternitatis candidatum.

Miracula Eliſei Prophetæ.

CAPVT IX.

QVot iſtius geſta legeris, tot fere in oſtenta, & miracula offendis. Hic ille eſt diſcipulus Eliæ, & famulus ab aratro ad ſacrum vaticinium arceſſitus viciſſe tamen Magiſtrum videtur; multitudine potiùs an claritate ſignorum incertum eſt. Et fortè duplex ille ſpiritus Eliſeo conceſſus duplo major fuit *Ex c. 2 vſque ad 13. l. 4. Reg.*

miraculorum effectio, quæ nec ipsâ morte, & emortuis oſſibus finita eſt. Imputa, ſi libet, pallio Eliæ totam hanc prodigiorum ſeriem, nihil eſt tamen cauſæ cur hoc ipſum deneges Eliſei virtutibus, quas ad ſui nominis oſtentationem Deus ipſe promouerat. Igitur rapto bigis igneis Eliâ in cœlos, primus ad miracula gradus ſternitur tranſitus Iordanis ſicco veſtigio, & arente alueo: deinde ne vicinam Vrbem Iericho prætereat Eliſeus, & vbiuis mira efficiat, vbi maximè neceſſaria, ſale infuſo in fontes ſterilitatem loci, quem aquæ peſſimæ inhoſpitalem fecerant, facilè abſtulit. Et hæc ſanatio aquarum eò mirabilior, quò ineptior medicina. Calvo huic Prophetæ certatim pueri caluitiem veluti conuicium jactant: ecce duo vrſi quadraginta mox contumelioſos pueros in fruſta concidunt; hôc vltionis prodigio adultos inſtruens Vates, quando nec teneræ pepercit ætati. Tribus Regibus fœderatis aduerſus Regem Moab deficiunt aquæ in via, poſtulante Ioram Rege Iſraël filio Achab, nihil conceditur, at in gratiam Ioſaphat Regis Iuda & aquæ vbertim deſertis in locis ſcaturiunt, & victoria de Rege Moab ſperatur. Quid proſequar olei exuberantiam in domo viduæ vnius de vxoribus Prophetarum, quando non priùs ſtetit oleum, quàm vaſa deficiunt? Quid viginti panes hordeaceos centum viris

ad ſatietatem appoſitos, & ad reliquias vſque profuſos? Similiter miſſam in lebetem farinulam, quæ pulmenti amaritiem, & mortem in olla conſumpſit? Lepram Naaman principis militiæ Regis Syriæ ſeptimá lotione Iordanis abſterſam, & in puerum Giezi transfuſam, eò quòd munera, veſtes, argentumque inuito hero acceperat? Fœcunditatem Sunamitidi conceſſam, & fœcundati vteri prolem vitæ reſtitutam. Quid plura? Ferrum aquis innatat more corticis; produntur inſidiæ Regis Syriæ; percutitur cæcitate exercitus, tamen in Samariam adducti Syri, & poteſtati Regis Iſraël permiſſi dimittuntur illæſi, imò & bene paſti. Denique poſt ſigna tanta, quæ rudis illa ætas obſtupuit, & priora erubuere ſæcula, moritur Eliſeus, qui vitæ, mortiſque adminiſtrauit imperium. Fleuit morientem Rex Ioas, flentem conſolatus eſt vates diuinus ſpe amplâ victoriæ Syriacæ, quæ ſepties Regi futura erat, ſi ſepties terram percuſſiſſet. Quid beneficij ab expirante Propheta non impetraſſet Rex iſte, à quo iam mortuo proiectum defuncti cadauer vitam hauſit, & in ſepulchro mortis vim omnem eliſit? Voluit Eliſeum Rex Ioram capite minuere, quaſi reum tam longæ Syrorum obſidionis, & tam duræ famis, vt caput aſini octoginta argenteis, & ſtercora columbarum quinque argenteis væniret; ipſæ quoque mulieres filios ſuos vora-

rent, ſed quò tanta Eliſei miracula, niſi vel aliquò peſtem hanc à ſuis auertiſſet cervicibus?

Miracula Iſaiæ Prophetæ.

CAPVT X.

Exc. 19. & 20. l. 4. Reg.

ÆGrotat Rex Ezechias, nec illum tantæ Majeſtatis faſtigium à populi infirmitatibus excipit, aut abſoluit. Ægrotanti mittitur Iſaias Propheta; & licèt diſtans attamen mors vicina nuntiatur. Ad hæc plorat, & orat Rex, & cum precibus, tum lachrymis placato Deo diuinam prope mutat ſententiam, quando ſe vidit à graui ægritudine curatum, & vitam audit ad quindecim annos productam. Vtrumque ſanè plenum miraculi, atque prodigij, quò magis rerum ſeu ordini, ſeu conditioni contrarium. Primùm applicita ficorum maſſa, & vt Propheta iuſſerat, perſanatur vlcus, & morbus Regius vel inani, vel etiam peſtifero remedio, vt intelligas ſicut in morbis, ita in remediis diuinum eſſe aliquid; nec tam medicamenti æſtimandam qualitatem, quàm Dei medentis manum, qui pro arbitrio de noxiis quoque rebus vtiles exhibet medicinas. Deinde promiſſa à vate vita productior tam incerta primâ fronte videbatur, quàm mors vrget imminens.

nuntiata. Quid mirum ergo ſi Rex vel dubitat, vel interrogat? *Quod erit ſignum quia die tertia aſcenſurus ſum Templum Domini?* Ideo faciendæ rei ſignum certiſſimum ingens portentum optioni dat. *Vis*, inquit, *vt aſcendat vmbra decem lineis, an vt revertatur totidem gradibus?* Facile eſt, Rex ait, vmbram creſcere, nec hoc volo, vt fiat, ſed vt reuertatur retrorſum decem gradibus. Et ecce inuocato Deo Iſaias vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in Horologio Achas cum Sole reducit decem gradibus, & productior factus dies vitæ longioris obſes certiſſimus fit. Diſcant mortales tam promptum Soli eſſe retrorſum cedere, quàm ſtare immotum iubente Deo.

Interregnum, & captiuitas Iudæorum.

CAPVT XI.

POſt Sedeciam nullus deinceps ex ſtirpe Iudæorum Rex Ieruſalem vſque ad Aſſamonæos Hyrcanum ſcilicet, & Ariſtobulum; Salathiel quidem Iechoniæ Regis, & hujus Zorobabel filius inter concaptiuos fratres principatum obtinent, & duces appellantur; at Regis nomen, & regni inſignia deferre captiuis non licuit. Quàm interim indignè Babylonicam ſeruitutem tulerit Hebræus, teſtatur interfectio

Ex c. 25. l. 4. Reg.

Godoliæ. Hunc Iſmaël regali oriundus ſanguine cum decem ex nobilioribus, qui in Maſpha confugerant, dirè interficit, nec à Chaldæis Iudæos comites cædendò diſtinguit. Cæteram plebem gentis reliquias tendere in Ægyptum cogit timor, ne cuncti pro vno Godolia occiſo pereant. Mirum eſt quo robore animi profanos deorum cultûs repudiauerit inter alios Daniel, ideo ad leones damnatus. Et ibi ille perierat, niſi mitiores feras, quàm homines habuiſſet. Ieiunum illum, & impaſtum Angelus meſſorum prandio reficit per Abachuc Prophetam, illuc ex Iudæa crine ſuſpenſo delatum. Præterea Danielis ſocij Ananias, Azarias, Miſaël, vel Sidrach, Miſach, & Abdenago apud Chaldæos ſtatuæ Nabuchodonoſor negato diuino cultu fortiter caminum, vti certaminis locum, adeunt. Intrat Angelus cum tribus, vt ab iſtis in incendiarios flammas fornacis excutiat. Cremata quidem mox vincula, compedeſque Iuuenum, fortè vt liberiùs inter ipſos ignes, velut inter auras incederent. Pepercit flamma corporibus, imò veſtibus, quorum animi meliore igni ardebant. Stupet Nabuchodonoſor viſo quarto Iuuene tres inter, quos ſicut nec cibus Regius contaminauerat, regiâ menſâ eſculentius expertos ieiunium, aut legumina, ita nec ignis tantillùm libauerat. Hinc Rex exclamat, *Non eſt alius Deus, qui poßit ita ſaluare.* Interim ad

Exc. 1. vſque ad 7. Daniel.

ſeptuaginta

Digitized by Google

ſeptuaginta annos productam ſeruitutem afflicti mœrent Hebræi, quos Tyranni quatuor Nabuchodonoſor, Euilmerodach, Balthazar, & Rex Medorum Darius duris exercuere Imperiis. At Daniel toti tunc Orienti præfectus & ſecundus à Rege, tantò meliùs & indulgentiùs captiuos habuit, quantò ſibi chariores. Tantum illi faſtigium ex declarato Regis ſomnio de viſa ſtatua, cuius caput ex auro optimo, pectus & brachia ex argento, venter & femora ex ære, pedes denique partim ex ferro, partim ex teſta conſiſterent. Experta ſanctiſſima vxor Suſanna, experti impudiciſſimi Iudices, experti quoque Sacerdotes Belis quanta in Daniele erga improbos inclementia, & erga iuſtos profuſa charitas.

Finis captiuitatis Babylonica.

CAPVT XII.

POſt ſeptuageſimum annum finita tandem ſeruitus & cum libertate mutata. *Ex c. 1.* Expectandus diu fuit tanti beneficii au- *1. Eſd.* thor Rex Cyrus, nec antè ſeruire deſitum eſt, quam Tyranni omnes Babiloniæ vel fato defuncti, vel occiſi gladio. Nabuchodonoſor natu maior Euilmerodach excipit. Hic paternum regnum ſperans ſibi *timens* ereptum iri à Patre etiam extincto, cadauer in trecentas partes diuiſum prædam

projicit vulturibus. Impius ſanè æquè ac vecors. Credidit Patrem, ſicut ex homine factus beſtia, iuxta vaticinium Danielis & arboris ſomnium, rurſus ex beſtiâ in hominem redierat, ita fortè poſt mortem recepturum regnum cum corpore. Poſt hunc Balthaſar iunior natu, qui percuſſus à Dario Medorum Rege vitam cum regno miſerè amiſit. Ita illi extantes de muro
Daniel. 5. digiti dum ſcriberent, *Mane, Thecel, Phares* ſignificauerant. Sublatis de medio Chaldeis, libertatis vindex Hebreę regnat Cyrus. Nam traducto à Medis ad Perſas imperio, ſubiectos populos maximè Iudæos fœlices iubet ac ſecuros agere; Extorres redire in patriam, reſtaurandæ vr-
1. Esdr. 5. bis ac Templi datâ veniâ. Reddita quo-
et 1. & . que vaſa Sacra, quæ ſuſtulerat Nabuchodonoſor, quibus abuti ad pocula non audet, poſtquam audiit Balthaſſar non tam irruptione hoſtium, quàm ſacrilegio periiſſe. Pauci tamen in Iudæam redire viſi ſunt, cæteros vel vxoribus vel partis extra patriam remorantibus. Adeò natale ſolum amabant, vbi etiam nati ſeruierant. Penes tam paucos ac inopes nullus ducitur murorum ambitus, vix Templi iacta fundamenta, ſaltem ædificatum ad ſacrificia Altare, denique intra pomœrium non tam ſubſtructæ ædes quàm caſæ. Ita non Vrbs ſed quædam imago Vrbis ſurgebat.

Digitized by Google

Bellum Holofernis contra Iudaeos.

CAPVT XIII.

QVantò inſignior viſa eſt Cyri beneficentia, tantò Cambyſis filii deteſtabilior crudelitas, qui reſciſſo edicto paterno beneficia in contumelias ferus commutat. Ideò fortè dictus Nabuchodonoſor, vt ſicut ille vrbem ac Templum demolitus incenderat, ita hic, ne denuò excitaretur, inhibuit. Tam ſanctum opus ſuſpendit impius, ne rebellioni arcem collocet, & hoſtibus vires ſufficiat. Sed, ô malè prudentem aduerſus Deum, qui in tantæ pœnam impietatis, ab imbelli fœmina Hebræa vinci ſinit, qui viris ſuperior eſſe contenderat. Miſſo Holoferne militiæ principe poſt ſubactam Mediam ac triumphatum Arphaxat Regem, in Iudæam inuolat, Cappadociam, Damaſcum & alia munitiſſima regna prætergreſſus; quot paſſibus tot victoriis Oriente luſtrato. Satis paterno clarus imperio videri poterat, ſi fines vllos caperet cupido regnandi. Ingreſſo Galilæam Holoferni Bethulia viculus ferè obſiſtere audet. Loci incolæ, quem natura munierat, Deo fidentes, obſideri ſe ſinunt. Et iam peditum centum viginti millia, equitum viginti duo non tam armis quàm terrore ciues circumdederant, iamque inciſo aquæ- *Ex toto lib. Iudith.*

ductu & prohibitis fontibus ne in Vrbem influerent, exhauſtis per viginti dies ciſternis, cogitauerat Princeps Ozias tradere hoſti ſiti enectum populum. Sic deditioni res erat proxima, niſi ſęculo illi contigiſſet fortiſſima mulierum Iudith. Viris hæc animoſior cædem Holofernis, quam vir non auderet, feſtina exequitur. Tamen in re tam virili non oblita fœminam, mundum muliebrem pulchro corpori aptat, culta comptaque procedit ad caſtra, Abrâ comite, vt quam viri bellatores manu, ipſa oculis & amore ſui præſumat victoriam. Capti Aſſyrii primo tam præſtantis Matronæ conſpectu, cui formam Deus ſplendore quodam auxerat, exclamant amentes. *Quis contemnat populum iſtum, qui tam decoras mulieres habet?* Introducta in tabernaculum Ducis & fugę conſilium partim profeſſa, partim mentita, ad nuptias Tyranni aut ſaltem ad delitias deſtinatur. Illa non abnuere, diſſimulare etiam ſi opus eſt, imò palam redamare amantem. Inuitata ad epulum non dedignatur, & datâ veniâ, quos comportauerat cibos, manducandi, regali menſæ accumbit; ille cum immodico vino ardentiſſimum amorem bibit. Tum in conclaui ſuam ita edormit crapulam, vt nec ſanctiſſimæ viduæ fas ſit illudere, nec cædi deſtinatæ elabi. Ingraueſcit ſomnus principis, contentiùs orat Iudith, grande facinus perfectura. *Confirma me*, inquit, *Deus Iſraël & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum.* Nihil cunctata comam

ac ceruicem apprehendit, & pugione ad lectuli columnam appenſo bis ferit, quaſi duplex fœminæ ictus neceſſarius foret vbi vnicus viri ſufficeret; deinde amputatum caput in Abræ peram proiicit, euolutoque extra conopæum trunco, lectum non tam ſanguine quam vino reſperſum relinquit. Tanti capitis præda onuſta Iudith è caſtris Bethuliam regreditur ouans, & prolato de perâ capite, *Ecce*, inquit, *caput Holofernis quem percuſſit Dominus per manum fœminæ*, Stupet populus ac ſimul fremit lætitia, tædis accenſis tam fortem viduam circumſtans & ab ore dicentis pendens. Contrà Aſſyrii viſo principe decollato facilè palantes cæduntur, vix fugæ relicto præſidio. Interim triginta per dies collecta ſpolia, quorum melior pars & opimior attributa eſt Iudith; at pia mulier Templo affigi iuſſit, vt tanti Dux facti non fœmina, ſed Deus crederetur. Hoc tandem fatum Holofernis capitaliſſimi hoſtis Iudæorum. Simili prope exitu aliquantò poſt ſuperbus Aman vitam patibulo affixus amiſit, qui perire totam gentem in patibulis voluerat. Totum hoc negotium expediit Regina Eſther apud Aſſuerum Regem ac coniugem, & vnica tam barbari conſilii quærimonia capitale Amani iudicium fuit. Ita factum eſt vt ſicut priora ſæcula Debbora & Iahele fortibus fœminis, ita hæc poſteriora Eſther & Iudith fortitudine inclytis gloriarentur.

Ex c. 7. l. Eſth.

Digitized by Google

Prælia pro reſtauratione vrbis ac Templi.

CAPVT XIV.

Ex cap. 2. lib. 1. Eſdræ.

ANno quadrageſimo ſexto poſt defunctum Cambyſem quartus à Cyro Darius Hyſtaſpis eiuſdem cognatus magno ſe voto exoluit. Vouerat hic authore Zorobabel, ſi Perſarum Rex fieret conſummandi Templi Hieruſalem veniam ſe daturum, dedit ille voti compos cæſis duobus Magis fratribus qui regnum inuaſerant. Miſſus in Hieruſalem Zorobabel qui pendens & interruptum Templi ædificium ad vmbilicum perduxit. Edicto inſuper cautum eſt, ne quis perficiendo operi obſtrepat, & ideo crucis intentatur ſupplicium. Miſſus poſtea Eſdras ab Artaxerxe, miſſus & Nehemias, ille legem diuinam inſtaurat, & non tam tabellis quam populi mentibus accuratè inſculpit; hic totam Vrbem à fundamentis nouam excitat, mœnibus cingit, & portis claudit ac munit. Interim multa cum finitimis populis quos liuor aduſſerat & tam aſſiduè commiſſa prælia, vt Iuuenum pars ædificando, pars præliando inſiſteret; hic ex area fiebat acies & trullas cum gladiis & lanceis geſtabant fabri ſimul & milites, interdiu toti in opere, noctu partiti vigilias excubabant, & ſi dicere fas eſt, vnâ manu trullam,

alterâ gladium tractabant aut lanceam.

Expeditio Alexandri magni in Iudæam.

CAPVT XV.

IMperante orbi nunc Chaldæo, nunc Medo, nunc Perſâ, prout ius erat in armis, ad Græcos quoque tranſit Imperium; hic erat quaſi ordo fatorum. Igitur Dominos mutante orbe per tempora mutat & Iudæa. Seruire cogitur Alexandro Macedoni cui cognomen Magnus, non tam ex corporis quàm ex animi magnitudine, cui vix ſatis erat terrarum ambitus. Ille toto Oriente armis penetrato, Palæſtinam quaſi vltimam prouinciam cogitauerat, & vltrò feſtinantem accelerabat prædæ amor auditâ vbertate ſoli, vetuſtate gentis, religione Templi ac præſertim opulentiâ. Orant Iudæi & precibus prædonem mundi beneficum faciunt. Magnus ille (quis non ſtupeat?) in Iaddo pontifice, qui obuius proceſſerat ſtolâ indutus Cydari & laminâ coruſcus, Deum adorat, mactat in Templo hoſtias, Iudæos vbique gentium patriis vti legibus concedit, & ſeptimum annum iubet eſſe tributi exortem. Sic perdendæ Vrbis & gentis conſilia, in beneficia commutantur.

Ex c. 1. lib. 1. Mach.

Bella & perſecutiones Antiochi Regis in Iudæos.

CAPVT XVI.

Ex c. 1. lib. 1. Mach.

ALexandri veneno extincti nullus relictus hæres; ille diuiſo in duodecim ſocios Imperio, affectaſſe creditur, ne quis apud poſteros ſibi par potentiâ legeretur. Succeſſit res pro voto, in pauciores tamen id eſt in quatuor Reges tota Orientis collecta eſt Dominatio. Primus Ægypto Ptolomæus Lagi filius; in Macedonia Arideus ſeu Philippus Alexandri frater; in Thracia & Helleſponto Lyſimachus; in Syria demum & Babylone Seleucus Nicanor primus regnaſſe traditur. Ab hoc ſeptimâ ſobole Antiochus Epiphanes, qui Romæ obſes fuerat pulſo fratre Seleuco Syriæ regnum inuadit, fratre ſacrilego peior: quippe ille Heliodoro duce Templi ærarium ſpoliatum miſerat, & ſpoliauerat, niſi armatus eques in Heliodorum priores equi ſui calces eliſiſſet; ſicque humi abjectum, alii duo equites, intellige Angelos, contudiſſent verberibus, extinctuſque iacuerat, niſi pro ſemianimi orans Onias quaſi reuocaſſet à mortuis. Non cautior fratre Antiochus, ſed irreligioſior Templum ingreſſus totum deſpoliat & collocatâ Iouis ſtatuâ ritus gentium profanos imperat; Imperio reluctantes

dirâ nece extinguit. Teſtis Eleazarus ſenex, qui carnes porcinas iuſſus edere vel edentem fingere, maluit flagellis ad necem cædi, quàm ſenectutis canitiem tam turpi notâ inuri. *Non enim*, inquit, *ætati noſtræ dignum eſt fingere.* Teſtes ſeptem cum matre Machabæi, quos Antiochus Tyrannus, non iiſdem ſed æquè diris tortos ſuppliciis non tam mori quàm ad meliorem fecit vitam tranſire, vt deinde in laureas verterentur ſupplicia, & Regis crudelitas triumphus Martyrum fieret & inſigne virtutis. Authore Iaſone & Menelao (hi tunc peſſimi Iudæorum) poſitum eſt in vrbe Gymnaſium & conſtituta Ephebia. In illo ritus gentium doceri iuſſi ſunt Iuuenes; in iſta (proh pudor!) præſtare ad omnem libidinem; cæſa intra triduum octoginta millia ciuium, vt cæteros tanta cædes à cultu Dei vel abſolueret vel deterreret; ſed is eſt religionis amor, vt vel fugere expediat timidis, vel audacibus certum ſit mori.

Bellum pro religione Duce Mathathiâ.

CAPVT XVII.

Ex c. 2. lib. 1. Math.

IGitur Hieroſolymis egreſſus Mathathias in montem Modin totam ſecum transfert familiam hoc eſt quinque filios, Ioannem, Simonem, Iudam Machabæum, Elezearum & Ionatham. Ibi occiſo qui à Rege litari Idolis mandauerat, facto ſimiliter impetu in quendam Iudęum qui legis deſertor palam Diis gentium fecerat, dimiſsâ vrbe Modin in deſerta loca progreditur. Illum ſecuti complures, cultus diuini obſeruantiſſimi, quaſi iuſtum conflant exercitum. Horum mille, quia die Sabbati deſcendere ad certamen nefas, Ducum proſtrati gladio occumbunt: cautiores alii nec Sabbatum à præliis excipiunt, & iam non pro focis, ſed pro aris pugnantes fœliciter vincunt. Victores totam regionem ſuperſtitionum fæce luſtrant expiantque. Poſtremò, deſtructis gentium altaribus & circumciſis infantulis, moritur Mathathias religionis quàm vitæ amicior, cuius pietatis tot monumenta ſunt, quot Liberorum fortia facta, in quibus patrem etiam poſt funus viuere & ſpirare conſpicuum fuit.

Digitized by Google

Bellum Machabæum primum Duce Iuda.

CAPVT XVIII.

DEfunćto Mathathię Vicarius relićtus eſt Iudas filius Machabæus nomine, vnde hęc quæ ſequuntur Machabæa bella. Hic Princeps religioſi exercitus inter fratres delećtus. Quot præliis tanquam leo vires Antiochi Regis contuderit, quot Reges ac principes finitimarum gentium vel fugauerit, vel ceciderit, vix credere eſt, præſertim tam paucis copiis & tam exiguo belli apparatu. Primùm Apollonius Samariæ, deinde Seron Syriæ princeps, vterque Iudę manu interfećtus, illius omnis deletus exercitus, huius oćtingenti gladio percuſſi, cæteri in fugam dati, debellandi Antiochi præiudicium fuerunt & omen certiſſimum. Rex [illegible] Iudæorum perpetuus hoſtis, contraćtis per omne Regnum auxiliis & exhauſtis in milites theſauris, ſubito impetu Iudam tentare parat, & ſi fas eſt, opprimere; deſperat tamen vincere, in tanta rerum ſuarum tenuitate (quippe nulla tunc à Iudæis, nulla à Græcis Vrbibus, quæ ab ipſo defecerant, većtigalia pendebantur.) Igitur partito cum Lyſia filii ſui nutritio, exercitu toto, Syriam illi bellumque in

Ex c. 3. vſque ad 10. lib. 1. Mach.

Digitized by Google

Iudæos demandat; ipſe in Perſas vadit ad quærenda belli noui ſtipendia. Miſſi in Iudæam à Lyſia Ptolomæus, Nicanor, & Gorgias fortiſſimi Duces, data equitum quadraginta millia, & peditum ſeptem. Ad tantum numerum imprimis magna in caſtris Iudæorum trepidatio, deinde ſpes vincendi poſt celebratum & ieiunium & ſacrificium ex conſilio Iudæ; mox ad primum conflictum, quaſi nollet cunctari victoria, pulſi fugatique Syriaci Duces & caſtris opulentis exuti (nam eò Syri mercatores quaſi certi de victoria, multo cum auro & Tyriis opibus frequentes venerant, ad emenda mancipia.) Lyſias poſt annum reparatis, imò auctis viribus adeſt violentior; inſtat quoque Iudas audacior & funditus repreſſo hoſte, relegatoque in Syriam, Hieroſolymam victor ingreditur, Templum expiat, altare nouum extruit, arcemque occupatam à Syris pro viribus oppugnat; filios Eſaü in Acrabathane percutit; filios Bean ſuis in turribus quò confugerant, incendit; Ephron ciuitatem, quia tranſitum ſuis negauerat, peremptis ciuibus, ſolo æquat. Quanto dolore accepta ab Antiocho Rege (qui tunc in Perſide habebat) tanta ſuorum clades, & turpis Lyſiæ fuga & inſignis Iudæ triumphus. Tunc in ſummam rerum ſuarum deſperationem adductus (nam Elimaïdem in Perſide Vrbem nobiliſſimam, auro argentoque copioſiſſimam, prædæ inſtans fruſtra oppugnauerat, fortiterque repreſſus à ciuibus

cogebatur victus & vacuus Babylonem reuerti) Quantus Regis impii mœror hic fuerit, præſertim ſtimulante delictorum conſcientiâ, quod populum Dei tot ærumnis vexauerit, ipſa etiam ſacra violauerit, teſtatur mors inde conſecuta. Expirantis propè hæc aurea verba extant, vtinam ex animi pœnitentia, *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo & mortalem non paria Deo ſentire.* Relicto hærede Antiocho filio, regnique adminiſtro Philippo amico ac nutritio Antiochi qui Eupator ad diſcrimen Patris dictus eſt, ita volente Lyſiâ, nulla cum Iudæis pax ſub nouo Rege. Quin ipſe quaſi Patre fœlicior futurus, conflato numeroſiſſimo exercitu in Iudæam contendit. Adducta centum millia peditum, & viginti equitum, inſuper Elephanti triginta duo & certare docti & ligneas turres geſtare habiles dorſo, præmonſtratus quoquead ſpiritum bellicum acuendum ſanguis vuæ & mori. Sed hic tantus belli apparatus citiùs impedimento fuit quàm terrori. Teſtis Eleazar ille, qui viſo Elephante cæteris ſupereminente & Regiâ loricâ veſtito, arbitratus in eo Regem inſidere, protinus abjecto clypeo per medias hoſtium legiones ad beſtiam penetrat, tum ſub eam ingreſſus ſubiecto gladio interimit; itaque cadens beſtia Eleazarum mole & ruinâ ſui corporis opprimit: atque ita tantus Miles emoritur tam immani cadauere incluſus magis quàm oppreſſus, & ſuo quaſi ſepultus triumpho æternum

ſibi nomen, ſuper incumbente beſtiâ, impoſuit. Igitur hoc vno prælio victus Antiochus pacem petere & fœdus inire cogitur ſuadente Lyſiâ. Sed quia periurus fidem violat, in vltionem perfidiæ à Demetrio Seleuci filio regno ſimul ſpoliatur & vitâ. Tandem tot antea præliis victor Machabæus, tot clarus triumphis, adhuc pulſo fugatoque Bacchide, quem Demetrius Syriæ Rex miſerat cum Alcimo peſſimo Iudæorum, interfecto etiam Nicanore, demum ipſe in prælio cum Bacchide à Syria reuerſo, non tam victus quàm ceſſans vincere occumbit, eò quòd ferè ſolus, totam belli ad dextrum cornu ingraueſcentis molem in ſe ſuſtinuit. Hic relictis ſibi paribus fortitudine fratribus deſiderium ſui ac dolorem omnium mitigare potuit, at memoriam & nomen nulla ſæcula abolebunt.

Bellum ſecundum Machabæum Duce Ionatha.

Ex c. 10. 11. 12. l. 1. Mach.

NObile caput, manum fortem, cor inuictum, prope omnia mors Hebræis abſtulerat in vno Iuda, nondum tamen exhauſerat totum Matathiæ ſanguinem. Trunco ſtatim Reipublicæ corpori redditum eſt caput priori germanum, & omnia cum capite: ex populi ſuffragio defuncto Iudæ ſucceſſit frater Ionathas nec armis, nec famâ minor. Primum illi facinus ſanguinem fratrum repetere ab interfectoribus. Ioannis quidem à Iam-

briis, quos in ambitioſo nuptiarum apparatu interceptos occidit; Iudæ verò à Bacchide cuius exercitum cęcidit, dignas fratri inferias. quare Bacchides pacem coactus ſi non petere ſaltem ſeruare, quamtùmvis turbarum molirentur malè feriati quidam ex Iudæis. Interim Alexander Anthiochi nobilis filius occupatâ Ptolemaide Syriam inuaſit. Demetrius quò faciliùs inuaſorem expelleret Ionatham conciliare ſibi ſtudet, ſtudet & Alexander vt occupata retineret; vterque pretioſa offert tituloſque clariores: ſed Ionathas huic fauit, qui deſtitutum tanto præſidio Demetrium facilè profligauit in acie & occidit, Deo vindicante gentem ſuam de hoſte implacabili. Hinc Alexandro orta ingens de Ionatha æſtimatio, quem & apud Ptolemaidem dum ſponſam recipit à Ptolomæo Ægypti Rege filiam Cleopatram, Rex honorificè habuit, & donatum veſte purpureâ formidabilem fecit perduellibus qui eò confluxerant accuſandi ſtudio. Quam fluxæ res hominum! tam placida ſerenitas ſtare non potuit. Demetrius ex altero natus, vt Alexandrum de occupato regno detruderet, bellum renouat Apollonio duce; ſed quâ manu Ionathas, Alexandrum euexerat, eundem ſuſtinuit deuicto Apollonio, & diſiecta Demetrii iunioris factione. Huic gratiæ ne deeſſet Alexander addidit adhuc glorificare Ionatham & miſsâ fibulâ ex auro viſus eſt in eum ſupremos honores congeſſiſſe. At

Ægypti Regis auerſus animus ereptam Alexandro Cleopatram dum tradit Demetrio, tradit & regnum: ſic attritus bello infœlix gener profugit in Arabiam, vbi pro ſalute mortem reperit truncatus caput perfidâ Arabis manu. Nouum Regem dum accendere cupiunt iniqui ex Iudæis, accuſant Ionatham, ſed hanc calumniarum procellam ille ſuâ præſentiâ ſtatim fugauit & muneribus, quæ Regis gratiam promeruêre & ſibi, & toti populo. Nocuit Demetrio ſua fortuna, dum nil videt quod amplius timeat, paternos exercitus miſit & offendit; id arripiens Tryphon olim Alexandro militans, illius filium ex Arabia reuocat, patriſque ſolio erat repoſiturus, niſi Ionathas obſtitiſſet, vitâ Demetrio aſſertâ per horrendam ſtragem rebellium Antiochenorum, quos in ipſa Vrbe receptus Ionathas cum tribus mille Iudæis cęcidit ad viginti millia ſupra centum. Hinc iræ Tryphonis ſuo tempore erupturæ. At ingratus Syrus dum promiſſa non modo non exoluit ſed vexat Ionatham, hoſtem ex amico facit; tandemque Antiocho reduci cum Tryphone coactus cedere, funeſto experimento didicit quantùm in vno Ionatha perdiderat præſidii, quantùm addiderat æmulo. Interea non tam intentus rebus Antiochi Ionathas quin ſuas etiam curaret: receptis aut vi aut deditione multis arcibus totâ prope Iudæa ejecit extraneos & perduelles, populumque ſanctum tantùm non aſſeruit

ruit in ſolidam libertatem. Rebus ita compoſitis amicitiæ fœdus renouat cum Romanis & Spartiatis: ſed qui Demetrio fauebant ingenti exercitu iterum turbant, nocturnâque impreſſione Ionatham tentant opprimere, vt viam ſibi ſternerent ad Antiochi ruinam; at ille nominis ſui famâ potius, quàm armis inſidiatores diſiecit turpi fugâ. Triphon qui hactenus ambitioni ſuæ cauſam Antiochi prætexuerat profligatis, omninò partibus Demetrii, deſtinabat tandem peragere ſcelus quod iam diu conceperat. Obſtabat vnus Ionathas, ne per Antiochi cædem arriperet diadema quod adoleſcenti impoſuerat tantùm vt reciperet; Quare veteris vt putabat iniuriæ memor, & regnandi libidine furens dolo aggreditur quem apertè non poterat. euocatum igitur Ptolemaidem ſpecie amoris, militibuſque diminutum ad tria millia; Ptolemenſium manu capit Ionatham reliquo comitatu interfecto. Indignum tanto principe fatum cui victoria viſa fuerat hactenus famulari, & triumphos quærere vndecumque: ſed quid aliud ſperaſſet ab ignaua vulpe leo generoſus?

Bellum tertium Machabæum Duce Simone.

CAptiuo Ionathâ populus rediturus erat in ſeruitutem niſi Dominus ſeruaſſet virum, *de ſemine eorum per quos*

ſalus facta eſt in Iſraël. Is fuit Simon, Iudæ Ionathæque germanus, poſtremæ de Matathia reliquiæ, atque ſuæ ſpes vltima Gentis. Paternæ igitur fraternæque virtutis æmulus, noluit in tanta calamitate deeſſe publicæ rei, nec parcere animæ ſuæ in tempore tribulationis. Quare oblatum à populo imperium lubens accepit. Prima illi cura occupare Ioppen, miſſo Ionathâ Abſalomi, cum forti manu, hinc imminenti Triphoni cum exercitu ſe opponere. Inopinatus tanti Ducis occurſus terruit Tyrannum, qui quem deſperabat vincere aperto bello, opprimi poſſe putauit emunctâ pecuniâ quæ neruus eſt belli. Ionatham, quem vinctum trahebat, ſoluendum nuntiat ſi dentur argenti talenta centum & duo filii obſides. Fraus erat & Simoni certa, ſed vt inuidiam declinaret apud ſuos, miſit & argentum, miſit & obſides, nec recepit fratrem. Quin paulò poſt toties perfidus Tryphon ſcelus ſcelere auxit, & Ionathæ filiorumque cædem adjecit tot furtis & periuriis. Indignâ morte peremptum principem vix credere eſt quantùm fleuerit populus, quantùm Simon, qui defuncti oſſa nè iacerent ſine honore inſepulta, nobili clauſit tumulo. Hunc tanto apparatu toti familiæ extruxit in Modin quanto fortè nec Ægypti Reges ſua ſepulcra. Inter altas eximii operis columnas, non minoris artificii Pyramides erexit pro numero corporum, ſeptem nempe, patri ſcilicet & matri, tum

quatuor fratribus, tandem vltimam ſibi aliquando deſtinauit. Columnis arma impoſuit & ſculptas naues in trophæum, vt totum opus pro miraculo haberi potuerit, & familiæ ſuæ nomen geſtaque perennare. Sic primùm Deo charus, quia pius; tum Demetrio, quia fortis, à quo & impetrauit populo cuiuſcumque tributi remiſſionem. Interea Gazam vi capit purgatque ab Idolis; arcem quoque quę Hieroſolimis fræno erat & ſcandalo recipit, diemque deditionis conſecrat in annuum ritum. Tunc cœpit altâ pace Iudæa frui, cœpit & Simon magni Pontificis titulo palam clarari, qui illi vltro delatus & à ſuis & à Demetrio & à Romanis. Numenium enim Romam miſerat qui donis ampliſſimis antiqui fœderis renouationem aut emerat aut meruerat. Demetrio capto à Perſis dum auxiliares copias emendicat, ſucceſſit Antiochus filius, qui Simonem coluit quandiu Tryphonem habuit regni æmulum. At illo propè attrito in Iudæos conſilia vertit & arma: primùm per Athenobium legatum repetit arces captas, ideſt libertatem à Iudęis, tum negatas extorquere parat per Cendebæum viribus auctum. At vim vi repulit Simon, & iam impotens belli per filios Ioannem & Iudam triumphis prioribus hunc poſtremum adjecit: dum enim luſtrat Iudæam, vrbibuſque muniendis vacat, à Ptolomæo Abobi filio, & perfido genero quem Hiericonti præ-

Digitized by Google

fecerat exceptus, ſpecie conuiuii, in munitiuncula Doch, tandem interficitur cum filiis Iuda & Marathia. Quid non mortalia pectora cogit regnandi malè ſacra fames? Scelus ſcelere cumulaſſet & funus funeri miſcuiſſet impius parricida, niſi Ioannes reliquus iam ex tanta principum familia monitus, miſſos ſatellites præueniſſet & captos immolaſſet ſanguini ſuo iuſtiſſimâ, vltione. Hic eſt ille Ioannes qui deinceps paterni hæres imperii, Sacerdotiique, non modò nullam domeſticæ gloriæ virtutique maculam degener induxit, ſed eam auxit ſplendore, vrbium expugnator regumque terror.

Bellum Romanum primum in Iudæos.

CAPVT XIX.

Ex Ioſepho Antiquit. Iudaic. l. 13. & ſequent. t. 1.

CHaldæis, Medis, Perſis, Græciſque Regibus in prædam à Deo dati Iudæi veluti immanibus beſtiis, tandem à Romanis ſeu Latinis ſubacti, perpetuo tributo damnantur. Hi poſtremi totius iam rectores orbis, vt qui Aſiam, Europam & Africam victricibus armis coniunxerant, tam facilè de tota Iudæa ac de mundi angulo & ruſculo triumphum reportant. Præſertim Duce Pompeio geſtum hoc bellum, hoc eſt

ſub victore omnium gentium quas ille adierat, & populi Romani facilè principe: imò ſi ita viſum fuiſſet ſuperis candidato totius orbis Imperatore. Ille Mithrydatico confecto bello, debellata Armenia Pontique regione, de reliquo orbe expugnando quaſi luderet, Iudęam ingreditur, non tam exercendi militis causâ quàm refocillandi. Huc Pompeium adduxit cum noua vincendi materia tum Hyrcani Regis Iudeæ cum fratre Ariſtobulo hoſtilis contentio. Amborum Alexandra mater, Hyrcanum Pontificem & Regem ſimul, Ariſtobulum iuniorem priuatum viuere deſtinauerat; Mortuâ matre, in Hyrcanum collecto exercitu inuadit Ariſtobulus, victoque fratre in campis Hyerichuntinis, victor regnat. Pulſus Hyrcanus primùm Aretæ Regis Arabum vſus auxilio, tandem ſpe ſuâ deluſus, ad Pompeium ſupplex confugit vt inuictum ducem Romanum, tamen calamitatis ſuæ magnitudine permoueret. Majeſtatis Romanæ eſſe duxit Pompeius principem à germano pulſum ſolio reponere, ſicut poteſtatis erat auferre ſceptra quibus vellet. Ante omnia ex oppido Alexandrino quò ſe receperat Ariſtobulus, multâ Syrorum Romanorumque manu exturbatur: tum vrbem Hieroſolymam auicula ſicut in rete compingitur. Facili operâ captâ, Vrbe rebellem in cuſtodia collocat Pompeius, vt captiuus He-

bræus regnare dediſcat. Ingreſſo in Vrbem Romano, non continuo patuit delubrum (prohibebat arx imminens.) Tres menſes oppugnatum Templum, irruptum eſt tandem : illoque pro religione loci intacto relicto, Romam Dux renauigat (vtinam tam fœlix quàm pius!) impoſitoque Hieroſolimis tributo, Pontificem Hyrcanum ſtatuit fratremque abducit ſecum captiuum cum liberis. Trium Regum id eſt Tigranis in Armenia, Mithrydatis in Ponto, Ariſtobuli in Iudæa victor Pompeius; pluſquam Regali honore excipitur à Senatu. Interim quies in Iudæa Hircano Pontifice. Sed Alexander Ariſtobuli filius profugus ex itinere armatâ manu populatur agros Iudææ & munitiſſimas arces occupatas multo milite præmunit : has tamen conſilio matris, Scauro præſide ac demum ſe ipſum vt imparem Romanorum viribus tradit : ita miſer Iuuenis excitatum ignem deditione ſui extinguere cogitur. Paulo poſt ex cuſtodia & ex Vrbe elapſus Ariſtobulus, rurſus in Hircanum arma mouet ſed eodem quo filius fato : quippe Marcus Antonius Gabinio iubente, toto Iudeorum quem raptim collegerat diſſipato exercitu, in carcerem Romam amandat. Solutum vinculis Cæſar rerum potitus cum duplici cohorte tranſmittit in Syriam, vt ipſi Iudeæ regnum vel arte compareт vel armis ſubjiciat. Hoc tamen Cæſaris con-

ſilium (ô inſolentem fortunæ ludum!) quidam ex Iudæis Pompeiani, ſublato per venenum Ariſtobulo irritum caſſumque efficiunt. Næ ille veneno tollendus fuit, qui virus ambitionis ad ſui, patriæque pernicem hauſerat.

Bellum Parthicum contra Iudæos.

CAPVT XX.

PArthi, Pacoro duce, ſollicitante Antigono Ariſtobuli minore natu, Palæſtinæ incumbunt. Euphratem tranſgreſſis millia talenta, virgines quadringentas ſpondet Lyſanias pro reducendo in regnum Antigono patre, qui multis Parthorum millibus Hieroſolimam cingit obſidione; repugnat acriter Herodes pro Regia & Phaſelus frater pro mœnibus. Tandem Vrbem ingreditur Antigonus ipſo Pentecoſtes die, at non incruento certamine: tam fortiter medio foro vtrinque pugnatum eſt, vt agendum de pace fuerit in ipſo æſtu pugnæ ne qui vicerant victis ſimiliores eſſent quàm victoribus. Dum de pacis fœdere agitur & in Pacori fidem incauti ſe tradunt Hircanus, Phaſelus, & Antigonus, duo primi in ipſo itinere comprehenſi hanc eſſe ſentiunt barbarorum fidem vt numquam ſeruent, & tunc

magis decipiant quando minùs videntur. Redditur ſolio Antigonus permiſſuſque ſæuire, Hircano auriculas dentibus admorſas truncat, ô indignam Rege vltionem! Quid egit hoc ſupplicio? vt ne mutilus poſthac ſacris operaretur Hircanus: deinde Phaſelo dum necem parat, hic proprio impetu occupat ſæuientem eliſo ad ſaxum capite, nec liberas manus nec ferri copiam habens. Perierat quoque Herodes frater niſi ad Arabes properatâ fugâ tyranni conſilia eluſiſſet.

Bell um Romanum ſecundum.

CAPVT XXI.

ACceptâ fratris morte Herodes, vt ſuprema expirantis verba impleat (dixerat enim æquo animo ſe mori, quia vltorem viuum relinqueret) mediâ hyemis tempeſtate Romam properat; Expoſitoque Senatui tum viæ conſilio, tum ſuorum ac Iudææ miſerabili ſtatu, regnum flagitat, impetratque fauentibus maximè Auguſto atque Antonio. Rex in Capitolio conſtitutus in Iudæam reuocatur, ſociis Silone & Ventidio, qui ſecurum regnare iubeant Herodem ex Senatus Populique Romani imperio. Aduentantem in Galilæam Silonem.

Digitized by Google

lonem corrumpit auro. Tunc Rex Antigonus & ſaltem cogitati Belli extorquet inducias. Sic in dies dilata obſidio & ipsâ hyeme inchoatâ, tum frigore tum inopiâ victus ſoluitur. Queſtus eſt de auaro ac perfido Silone Herodes apud Antonium: ſubſtituitur illi Soſius dux impiger & corruptis moribus. Hic obſeſſam quinque menſes Vrbem Solymam expugnat: miles tantâ irrumpit ferociâ vt parcat ætati nulli, nulli quoque ſexui, licet inclamet Herodes; Parcite ferro, ne ſi vacuam ciuibus datis Vrbem, ſolitudinis me Regem relinquatis? Vix quoque ab expilandis Templi opibus abſtentum eſt. Ideo hanc victoriam Herodes, quam ſi victus fuiſſet, grauiorem reputans, publicas pecunias priuatis, id eſt ſuis redimit ac compenſat. Poſteà aureâ vinctus catenâ perducitur ad Antonium Antigonus & ſecuri feritur.

Finis Bellorum & regni Iudaici.

CAPVT XXII.

TAndem ſublato hoſte, Imperium abripit ſibi Herodes, Hyrcanum, nepte illius Marianne ſibi iunctâ coniugio, Sacerdotem in Vrbe patitur, donec in ſuſpicionem regni affectati ad-

R

ductum, interſici mandat, Ionathamque fratrem ſubrogat ſacro Magiſtratui, vt ſuæ Mariannes dolorem vel leniat, vel abſtergat. His artibus & armis Herodes in Iudææ Regem euadit, licet alienigena, poſtquam in perempto Hyrcano vltimus Regum Iudæorum deſiit, vt Chriſto locus deinceps, daretur & ſceptrum.

Finis Flori Sancti.

Digitized by Google

FLorum hunc Sanctum ſeu Epitomem Hiſtoriæ Sacræ Patris Mathæi Boleran noſtræ dum viueret Congregationis: Vbi à tribus ex noſtris Thəologis quibus id commiſſum fuit, recognitus eſt & dignus luce viſus, permittimus typis mandari. In quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigilo noſtro munitas dedimus Pariſiis Kalendis Octobris anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi quarti.

BALDVINVS DE BREVX, Præpoſitus Generalis Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ.

Digitized by Google

Approbations des Docteurs.

NOs Presbyter, Regi Christianiſſimo Conciliis & concionibus, in ſacra Theologiæ Pariſienſis Facultate Doctor Sorbonicus & Rector Eccleſiæ Parrochialis ſancti Bartholomæi, legimus *Florum Sanctum, hoc eſt Hiſtoriæ Sacræ Epitomem Religioſi viri Mathæi Bolerani, dum viueret in Collegio Narbonenſi in Theologia Profeſſoris.* In eo nihil niſi Orthodoxum & terſum, ſtylus rei Majeſtate conſpicuus, nec ſuâ breuitate obſcurus, dignus qui poſt obitum auctoris lucem videat immortalem. Scripſimus ad finem & gratiam in ædibus noſtris, hac ipſa die Maij decimâ quintâ anni 1654.

ROVLLE'

EGo infra ſcriptus in ſacra Theologiæ Pariſienſis Facultate Doctor Sorbonicus; legi Librum cui titulus eſt *Florus Sanctus, hoc eſt Hiſtoriæ Sacræ Epitome.* Pariſiis die vigeſima ſecundâ Iunij 1654.

M. GRANDIN.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google